
A 470260

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G. VALERI CATVLLI

LIBER

LVDOVICVS SCHWABIVS

RECOGNOVIT ET ENARRAVIT

VOLVMINIS PRIORIS PARS PRIOR
QVAESTIONVM CATVLLIANARVM LIBER I

GISSAE
APVD I. RICKERVM
A. MDCCCLXII

Digitized by Google

LVDOVICI SCHWABII

65-825

QVAESTIONVM CATVLLIANARVM

LIBER I

GISSAE
APVD I. RICKERVM
A. MDCCCLXII

Digitized by Google

Digitized by Google

GVSTAVO · BAVRO

LVDOVICO · LANGIO

VIRIS · OPTIMIS

LVDOVICVS · SCHWABIVS

PIETATIS · CAVSSA

D · D · D

Digitized by Google

QVAESTIONVM CATVLLIANARVM

LIBER I

DE VITA CATVLLI

DE PERSONIS CATVLLIANIS

DE TEMPORIBVS CARMINVM CATVLLIANORVM

Digitized by Google

I

CATVLLI librum qui hodie sibi interpretandum sumpserit, eum difficillimam rem suscepisse nemo negare potest. etenim grammatici temporis et nostri et proxime praeteriti etiam si multis aliis Latinorum poetis enarrandis operam strenuam et laudabilem nauauerunt, Catullum tamen aut omnino non aut parum curare uoluere. olim quidem multorum hominum eorumque sollertium ingenia Catulli exercebat interpretatio : quin inter grammaticorum principes fuerunt qui poetam Veronensem commentariis inlustrarent, e quorum numero et Antonium Muretum et Achillem Statium et Isaacum Vossium et Iosephum Scaligerum, omnium principum principem, honoris caussa nomino. sed postea haec studia misere languescebant, cuius rei enarrationes et Antonii Vulpii anno MDCCXXXVII et Friderici Guilielmi Doeringii annis MDCCLXXXVIII ac MDCCLXXXXII editae, post quem Catullum totum nemo explicauit, etsi multi explicare in animo habuere, luculento sunt documento. uerum enim

Digitized by Google

uero uel doctissimos illos homines, quibus interpretatio Catulli plurimum debet, non plus effecisse quam ut multis rebus singulis bene inuentis commentario pleno praeluderent, concedere non dubitabit qui ad officia ea quae hodie interpretandi arte nostro potissimum saeculo uirorum egregiorum studiis eximie exculta ab interpretibus praestanda efflagitantur, animum aduertere et commentarios eos quibus aliis quibusdam poetis Latinis recte et plene intellegendis praeclare prouisum est, respicere et conparare uoluerit. unde quanta sint quibus aegre caremus ad Catullum totum intellegendum sua quisque sponte conprehendet. quam ob rem quo periculosius est ad Catulli interpretationem adgredi, eo enixius ego, qui duram hanc prouinciam magis propter ueterem quendam poetae Veronensis amorem quam uiribus subtiliter ponderatis in me suscepi, meam qualemcumque operam beniuolentiae intellegentium iudicum commendandam esse uideo, quos rogatos uolo ut cum uenia legant. simul uero disquisitiones aliquot singula quaedam Catulliana inlustrantes maximo opere laudare grato animo iubemur, quibus exemplaris instar nostra memoria significatum est quanam uia de Catullo interpretando hodie bene merituris eundum sit : inter quas ea quae Mauricius Hauptius et in quaestionibus Catullianis et in obseruationibus criticis, quarum alteras anno MDCCCXXXVII alteras anno MDCCCXXXXI edidit, ad Catullum explicandum contulit, non dubito quin primum facile sibi uindicent locum. qui uir egregius quod librum, quo de uita et carminibus Catulli se expositurum esse abhinc uiginti annos obseruationum criticarum p. 24 indicauerat, nondum edere uoluit nemo me sin-

Digitized by Google

cerius dolere potest, qui iam hunc libellum emissurus sum, quo res eas de quibus in opere illo sese disputaturum ille pollicitus erat tractandas mihi ipsi haud scio an audacius quam prudentius sumpserim. ita enim enarrationem nostram instituendam duxi ut in uoluminis prioris, quod nomine quaestionum Catullianarum inscribere lubuit, parte priore siue in quaestionum libro I, qui de uita Catulli est, de omnibus rebus historicis, ut perspicue magis quam Latine loquar, quarum cognitio ad Catullum plene intellegendum necessaria est, ueluti praeter poetae uitam ipsam in primis de temporibus carminum Catullianorum et de personis Catullianis disseratur. deinde in eiusdem uoluminis parte altera siue in quaestionum libro II, qui de carminibus Catulli erit, omnia conplectemur quae de Catulli poesis indole et arte de eius genere dicendi de eius re metrica exponenda erunt. tum in alterius uoluminis parte priore ipse Catulli liber, cuius emendandi ratio unice uera in omne ut uidetur tempus Caroli Lachmanni recensione demonstrata est, recognitus cum selectis codicum lectionibus et uirorum doctorum coniecturis et cum disquisitionibus de libri Catulliani historia de codicibus de editionibus exhibebitur : haec omnia denique in eiusdem uoluminis parte altera commentarius singula carminum explicans excipiet et ad finem perducet.

Quod modo recensionis libri Catulliani a Carolo Lachmanno factae mentionem inieci, hoc loco non nulla uideo mihi addenda esse, non quo iudicium quod de ea tuli pluribus adprobem (nam huius rei persequendae occasio in altero uolumine nobis adfatim parata erit), sed

Digitized by Google

ut incuriae et neglegentiae crimen, quod Lachmanno Catulli editori Guilielmus Froehnerus nuper obiecit, ab homine non modo ingeniosissimo sed etiam curiosissimo uiribus omnibus propulsem. Froehnerus quidem si nihil aliud uoluisset nisi coniecturis insulsis Catullum uexare, quarum natura ex specioso exemplo ut cognoscatur, oblectationis caussa commemorare lubet illum arcana quadam legum aphaeresis quam grammatici uocant scientia usum corruptelae illi notissimae (LXI 74) hac insigni medela succurrere temptasse :

quis deus magis a maritis
est petendus amantibus,

si inquam nihil nisi emendationibus, si dis placet, talibus effutiendis pruritum criticum sedare ille uoluisset, hoc patienter pertulissemus. cur enim post tot in Catullo emendando et antiquiores et recentiores nugatores non Froehnerum quoque aequo animo et sedato toleraremus? at cum idem in philologi Leutschiani uoluminis XIIII p. 579 adcurate adfirmauerit Lachmannum de eis quae manus codicis Datani prima scripserit plerumque falsa rettulisse, ni mirum cum recte legere non didicisset, et ueritatis et memoriae uiri summi tuendae caussa eloquendum mihi esse puto Froehnero, cum Lachmannum indiligentiae conuincere uellet, accidisse ut se ipsum et legendi imperitissimum et neglegentia plane incredibili praeditum praestaret. quae res ilico mihi adparuit, cum disceptaturus utrum Lachmannus an Froehnerus in scripturis manus codicis Datani primae, quae saepissime adrasae aut oblitteratae aut alio modo obscuratae sunt, legendis

Digitized by Google

diligentior et peritior fuerit, exempla illa, quibus Lachmanni inscitiam legendi ille probare uoluit, ipsum codicem Datanum intenta oculorum acie perlustrans examinaui. etenim, ut non nullos Froehneri errores proferam, qui quo maiore diligentia Lachmannus uera iam pridem legerat eo acerbius reprehendendi sunt, in carminis LXIIII uersu 10 rectissime se habet *pinee*, quod Lachmannus enotauit: Froehnerus correctura manus posterioris seduci se passus est. neque aliter in uersu duodetrigesimo, ubi Lachmannus manui primae lectionem *neptunne* unice recte attribuit. eodem modo Lachmannus in uersu uno et trigesimo *optato* multo rectius quam Froehnerus *optatae* legit. item in uersu trigesimo sexto codex habet id quod Lachmannus rettulit *alocrisea*, non Froehneri *alacrisea*: deinde in uersu sexagesimo sexto Froehnerus in Datano negat *delapso* extare, nihilo minus haec est manus primae scriptura, quae Lachmannum non fugit. item in uersu octogesimo Lachmannus Datano rectius *incena* quam Froehnerus *moena* adsignauit: similiter hic errauit in uersu centesimo nono, cum pro uocabulo *tumieius*, quam manus primae scripturam Lachmannus optime adgnouit, dixit in codice a prima esse manu *cum eius*. item Lachmannus in uersu centesimo decimo sexto *pluui* uerissime legit non deceptus ut Froehnerus correctura quadam. item in uersu centesimo uigesimo prima manus *portaret* scripsit, ut Lachmannus enotauit: Froehnerus autem more solito errorem commisit. item ille p. 568 errauit incertum esse dicens num in Datano x 23 *posquam* scriptum sit: haec enim lectio, quam Lachmannus descripsit, certissima est. neque minus illum oculi

Digitized by Google

defecerunt, cum *ustolanda* (xxxvi 8) et *consolatum* (lii 3) in Datano deprehendere sibi uideretur : nam quae illorum loco Lachmannus in codice repperit *ustilanda* et *consulatum*, ego quoque clarissime ibi extare uidi. denique, ut etiam de Laurentii Santenii codice, quem et ipsum neglegenter excerpsisse Froehnerus Lachmannum in nota p. 580 arguit, aliquid dicam, falsissima ea sunt quae ille de *minacis* (iiii 6) adnotauit : nam non tam *et minas*, quod Froehneri incuria deprehendit, quam idem quod iam pridem Lachmannus enotauerat *ei minas* dilucide scriptum in codice inuenitur.

Itaque si correctorum lectiones, quas Lachmannus, quippe cum merae Italorum quamuis saepe egregiae coniecturae sint, consulto et iure suo non enotauit, et quisquilias orthographicas, quarum Froehnerus indicem plenum, cuius usum criticum ei non inuidemus, diligentiae scilicet ostentandae caussa in specimine illo exhibuit, omiserimus, paucissima superesse patet quae ille forte fortuna magis quam sollertia adiutus Lachmanno rectius legit. quae cum ita sint, ex quolibet ueritatis studioso quaerimus num Froehnerus, qui in paucis illis exemplis, quibus Lachmanni incuriam perfecte conprobare studuit, ipse tam saepe ac tam grauiter peccauit, idoneus qui Lachmanni excerpta codicum Catullianorum ad ueritatem exigat et dignus cui fidem prae Lachmanno habeamus putari possit. in uniuersum uero nos, qui duos codices D et L a Lachmanno exhibitos ipsi quam adcuratissime potuimus contulimus, Lachmannum adfirmamus, etiam si aliquotiens in legendo errauit et quaedam inconsulto omisit, nihilo minus tamen in codicibus illis conferendis

Digitized by Google

atque in primis in codicis Datani locis obscuris arte legendi inlustrandis ualde adcuratum fuisse neque quicquam nisi spicilegium ut aiunt paruum reliquisse, quale etiam intentissima diligentia in rebus humanis subsequentium industriae relinquere solet : hoc tamen spicilegium ad ipsa uerba Catulliana emendanda prorsus nihil conferre in praesens adfirmare tantum possum, sed si illud in uolumine altero edidero, ultro quisque perspiciet. quae cum scribo longissime absum ut a Lachmanno emendationem carminum Catulli consummatam esse credam. at Lachmannus librorum Catullianorum manu scriptorum natura indoleque acute perspecta cum fide dignos a fallacibus segregasset et illorum ope ad exemplar illud antiquissimum Veronense, unde sub finem saeculi quarti decimi carmina Catulli in alia exemplaria describi coepta sunt (cf. Lachmannum ad Lucretium p. 246), hodie amissum uerba Catulli quam proxime fieri potuit redegisset, Catullum edidit permultis quidem locis mendosum sed cui ex codicum recentium conlationibus uix ulla in rebus grauioribus medicina, maximum contra et fere unicum auxilium ex grammaticorum arte emendandi sobria et subtili, qua ipse Lachmannus multos locos egregie restituit, expectari possit. quae cum ita sint, etiam si multa singula commutanda sunt, etiam si de librorum duorum quibus in Catullo recensendo Lachmannus praecipue usus est auctoritate paullo aliter atque Lachmannus fecit iudicandum et primo loco liber Sangermanensis anno MCCCLXXV scriptus, quo antiquior non dum repertus est, praeter ceteros libros religiose respiciendus est, nihilo tamen minus Lachmanni edi-

Digitized by Google

tionem libri Catulliani fundamentum satis firmum esse quo interpretatio eius constitui possit secure tenemus.

Vt uero tandem ad ea quae in hoc quaestionum nostrarum Catullianarum libro primo de uita Catulli nobis dicenda sunt transeamus, ea ita distribuenda esse putauimus ut in capite primo, cuius telam pertexere iam coepimus, de nominibus Catulli in secundo de annis quibus natus et mortuus sit in tertio de eius re familiari in quarto et quinto de Catulli et Lesbiae amoribus in sexto de aliis Catulli amoribus in septimo de itinere Bithynico in octauo de Catulli fratre eiusque morte in nono de carminibus quae in Caesarem et Caesarianos Catullus scripserit disputemus. deinde in capite decimo de Verannio et Fabullo in undecimo de G. Licinio Caluo in duodecimo de G. Heluio Cinna et Q. Hortensio et Tanusio Gemino in tertio decimo de Quintilio Varo de Caecilio de Cornelio Nepote de Cornificio de Sestio de Valerio Catone de aliis doctis amicis Catulli disseremus. tum in capite quarto decimo omnia quae de personis Catullianis dicenda restabunt congesta inuenies, in primis de Cominio de Arrio de Manlio Torquato et Vinia Aurunculeia non nulla exponemus. denique in capite quinto decimo quae in capitibus praecedentibus de temporibus carminum singillatim exposita sunt breuiter conprehendentur.

Primum igitur uideamus quae nomina Catullo fuerint. et 'Catullum' quidem poeta ipse in carminibus suis

Digitized by Google

se saepius nominauit, uide VI 1 VII 10 VIII 1. 12. 19 X 25 XI 1 XIII 7 XIIII 13 XXXVIII 1 XXXXIIII 3 XXXXVI 4 XXXXVIIII 4 LI 13 LII 1. 4 LVI 3 LVIII 2 LXVIII[a] 27 LXVIII[b] 135 LXXII 1 LXXVIIII 2. 3 LXXXII 1 LXXVI 5. itaque cognomen suum poeta nobis tradidit, sed de nomine et praenomine res aliter se habet : nam neutrum in libro Catulli legitur. fuerunt quidem qui praenomen poetae in eius libro inuestigasse se sibi persuaderent, neque tamen a me inpetrare possum ut horum coniecturis astipuler. ad carminis enim LXVII uersum duodecimum, qui in libris deprauate scriptus est (Santenianus enim et Colbertinus habent *uerum isti populi ianua qui te facit* Datanus *uerum istis populi ianua qui te facit* Sangermanensis *uerum istius populi i. q. t. f.*, cf. Rossbachium in editione p. XVIIII[1] XX[2], in cuius programmate anni 1859 p. 29 haec e Sangermanensi enotata est scriptura *uerum istuis p. i. qui te facit* ex altera illa errore operarum ut uidetur nata), praeter alias coniecturae Scaligeri quoque et Lachmanni extant, quarum utraque praenomen Quinti Catullo fuisse sumitur. Scaliger enim coniecit *uerum isti populi nenia, Quinte, facit,* Lachmannus haec Hauptio probata scripsit *uerum istud populi fabula, Quinte, facit.* cum Scaligero olim Venator sensit, nuper praenominis quidem restitutionem Froehlichius probauit, cf. comment. acad. Monac. a. 1849 V III 262. at hae coniecturae de uersu extremo conspirantes quamuis ingeniose repertae sint, tamen, nisi argumentis aliunde petitis confirmantur, ad Quinti praenomen Catullo uindicandum sufficere nequeunt, quippe cum partim comparatae cum ductibus litterarum, unde factae sunt, diffi-

Digitized by Google

ciliores, partim, si sensum consideramus, parum probabiles esse uideantur. nam quo lubentius concedo praenomen *Quinte* ex litteris *qui te* facillima et promptissima coniectura restitui posse, eo magis num uocabulum *ianua* mutare liceat dubito. in elementis *qui te* mendum reconditum esse manifestum est, sed num quid in uocabulo *ianua* inest quod displiceat neque huic loco conueniat? nec uola nec uestigium adest. nihilo minus eis qui *Quinte* scripserant, ne sensu uersus careret, uocabulum illud amouendum et aliud substituendum fuit: itaque ex *ianua* Scaliger *nenia* Lachmannus *fabula* Froehlichius *insania* fecerunt. inter quas lectiones, ut de Froehlichii *insania* taceam, Scaligeri coniectura *nenia* propter significationem loco Catulliano non congruam repudianda est: quod cum Lachmannus intellexisset, sua ipsius correctura *fabula* sensui loci quidem bene consuluit, sed ductus litterarum, quibus uocabulum *ianua* scribitur, parum curauit. quare quo maiorem fidem singulae paene litterae librorum bonorum merentur (u. Hauptii quaestionum Catullianarum p. 9), eo cautius de probabilitate emendationis Lachmanni iudicandum est. sed ne sic quidem restitutio uersus illius eis qui *Quinte* recipere uolunt perfecta est. nam librorum *isti* uel *istis* ipsum quoque defensoribus praenominis mutandum est: quam ob rem Lachmannus *istud* et Froehlichius *istuc* scripserunt. itaque non solum emendationes quas recensuimus uocabulorum *ianua* et *isti* per se spectatae ualde inprobabiles sunt, sed etiam praenomen *Quinte* tam speciose restitutum, ut pote quod illis repudiatis ipsum seruari nequeat, incertissimum est.

Digitized by Google

At quid hunc locum corruptum diutius moramur? quando quidem Lachmannus Quinti praenomen, nisi id Catullo fuisse ex aliis quibusdam argumentis sibi persuasisset, profecto uersui illi non inseruisset. opinabatur autem illud inscriptionibus librorum non nullorum Catullianorum et loco Plinii quodam satis defendi. de quibus rebus quid statuendum sit iam nobis peruestigandum est. atque primum inquiramus num quid de Catulli praenomine ex codicibus Catullianis cognosci possit. et in libris plerisque omnibus et sinceris et interpolatis praenomen poetae plane omittitur, ueluti in omnium antiquissimo Thuaneo Santeniano (L) Sangermanensi Colbertino Parisinis duobus (7989 et 7990 = P_1 et P_2) Puteano Memmiano Gudianis duobus (283 et 332 = G_1 et G_2) Dresdensi (u. Silligius in Iahnii nouis annalibus XIII 284) Hamburgensi Laurentianis tribus quattuorue (u. Huschkii analect. litter. p. 47). denique omnes etiam Achillis Statii et Isaaci Vossii codices, id quod ex uerbis quae de praenomine Catulli in prooemiis suis fecerunt conligere licet, praenominis nota caruerunt. contra codices in quibus praenomen Quinti cognomini poetae additum est adhuc tres noti sunt Datanus Riccardianus Cuiacianus, nec plures: quod dico ne quis per Paldamum in errorem seducatur, qui etsi nullius libri Q. notam praebentis praeter eos quos enumeraui notitiam habuit, tamen in libello de poesi Romanorum amatoria p. 24 in aliis quoque codicibus minoris, ut ait, pretii illud extare temere ariolatus est. tribus igitur illis testimoniis quaeritur quantum auctoritatis insit. atque primum, si aetatem spectamus, libri tres quos diximus e numero

Digitized by Google

recentissimorum codicum Catullianorum sunt. Datanum enim anno MCCCCLXIII exaratum esse ipsius subscriptione docemur: Riccardianum autem Datano aetate etiam minorem esse Theodorus Heysius in editione sua p. 296 adnotauit. quid? quod etiam Cuiacianum librum Datano recentiorem esse ex his patet quae in Scaligeranis s. u. *lingua* p. 240 relata sunt (cf. I. Bernaysii de I. I. Scaligero p. 143): *nullus est in ueterum librorum conlatione Iosepho Scaligero expeditior ac promptior, ut in codice Catulli Tibulli Propertii manu scripto illique a domino Cuiacio misso obseruaui, quem intra duos aut tres ad summum dies cum suis contulit. hoc autem exemplar descriptum erat anno domini* MCCCCLXVIIII *Nemausique a domino Cuiacio inuentum est.* deinde uero, ut quid de auctoritate librorum illorum statuendum sit adferam, de libro Cuiaciano Lachmannus ad Propertium p. XIII anno MDCCCXV haec scripsit: *idem Scaliger codice ad Propertium* (sicuti ad Catullum quoque) *recensendum usus est, quem recentissimum ut ipse ait* (cf. etiam Isaacum Vossium in prooemio obseruationum), *adde interpolatum a docto homine, sed cum ceteris Italicis raro consentientem Valentiae Cauarum ab Iacobo Cuiacio commodatum accepisse testatur ad* I 20 12. praeterea uide quae Lachmannus ad Catulli LXIIII 273 et LXXV 1 et Hauptius in quaestionibus Catullianis p. 39 adnotarunt. itaque manifestum est huius libri hac in re testimonium nihili aestimari posse. de Datano autem et Riccardiano codicibus cauendum est ne pro testibus duobus numerentur, cum tanta inter eos similitudo intercedat, ut artiore quodam cognationis uinculo coniunctos esse illos libros necesse sit. hoc

Digitized by Google

iam Theodorus Heysius (in editione sua p. 296), qui codicem Riccardianum ipse contulisse uidetur, dispexit: neque id dubium ei esse poterit qui uel pauca excerpta quae apud Lachmannum reperiuntur cum cura considerare uoluerit. quod ne sine argumentis dixisse uidear, non nulla exempla enumerare lubet, quibus et concordia quae Riccardiano cum Datano est et discordia qua idem a codicibus aliis distat probetur, ueluti LXI 227 pro codicis L *matre laus genus* in D et R legitur *matrizans genus,* item LXIIII 227 L *dicet* : D *duget* R *diget,* CVIII 1 L *populari arbitrio* : D *arbitrio* . . . . . R *arbitrio populari,* LXXXXVII 5 L *hic dentis* : D *hic dentis hos* R *hic dentis os*, et in eiusdem carminis uersu septimo L *defessus* : D *merentis* R *meientis.* denique exemplum ualde insigne LXIIII 308 commemorandum est, ubi pro *tuos,* quod L et codices plerique omnes praebent, Datanus et Riccardianus miro consensu *rubicunda* habent. praeterea in utroque codice interdum uersus eidem omissi sunt, ueluti uersus LXI 145 *Io Hymen Hymenaee* in utroque interceptus est, item LXIIII 258 *pars sese tortis serpentibus incingebant*: quin carmen undeseptuagesimum decem uersuum totum et in Datano et in Riccardiano omissum est. itaque duorum illorum codicum testimonium pro uno tantum habendum est. de codicis autem Datani auctoritate cum alio loco diligenter mihi exponendum sit, hoc loco unum tantum adnotare possum, me in uniuersum Heysio adsentiri, qui in editione p. 297 uiri cuiusdam docti interpolationibus Datanum saepius corruptum esse adfirmauit. uerendum igitur ne inscriptioni quoque subditicii quicquam ab interpolatore quodam inculcatum sit, ut pote quae a

Digitized by Google

titulo aliorum et bonorum et antiquiorum codicum discrepet insigniter. quid? quod in codice Sangermanensi omnium quibus Catulli liber integer inest antiquissimo carmina poetae his uerbis inscripta sunt *Catulli Veronensis liber incipit. Ad Cornelium*, quibus titulus codicis L simillimus est hic *Catulli Veronensis poetae liber incipit*: nam in L additur uocabulum *poetae*, de quo Lachmannus nihil rettulit. contra interpolatio paullo audacior est et in inscriptione codicis Parisini alterius (P_1) *Catulli Veronensis poetae illustris ad Cornelium liber incipit* et in codice Hamburgensi ita inscripto *Catulli Veronensis poetae illustris incipit feliciter ad Cornelium.* denique in Parisino altero (P_2) *Cal. Catulli Veronensis poetae celeberrimi liber feliciter incipit, ad Cornelium Gallum* et in Furiano *Valerii. Catuli. Veronensis. Liber I. Inc.* (cf. Rossbachii programma Vratislauiae anno 1859 editum) interpolationem uberrime pullulantem animaduertimus. ergo reputanti mihi quae sit horum librorum auctoritas et in inscribendis potissimum libris scribas ad addenda non nulla multo magis inclinasse quam ad aliquid omittendum, id quod etiam Osannus de Catulli poetae praenomine (in comment. semin. philol. Gissens. spec. II a. 1856) p. 13 recte adnotauit, non uidetur esse dubium quin in exemplari unde nostri omnes codices deriuati sunt haec inscriptio exarata fuerit *Catulli Veronensis liber incipit* et quicquid superet ad interpolatores referendum sit. quae si ueri similiter disputaui, Q. notam in Datano Riccardiano Cuiaciano additam adparet nullius esse fidei.

At nonne Plinii testimonio Quinti praenomen Catullo optime uindicatur? ille quidem in historia

xxxvii 6 § 81 haec scripsit : *si quidem extat hodieque huius generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus est Nonius senator, filius Strumae Nonii eius quem Q. Catullus poeta* (cf. carm. LII) *in sella curuli uisum indigne tulit.* sed hoc loco, quamquam ita ut enotaui inde ab Harduino uulgo scribitur, tamen cum lectio non recte constituta sit, ad Q. praenomen defendendum abuti non licet. nam cum in aliis codicibus tum in optimo omnium Plinianorum Bambergensi, qui etsi in ultimo operis Pliniani libro ab insigni sua bonitate paullulum recedit, tamen uel sic ceteros codices auctoritate multo superat, (cf. Silligii praefat. I L Iani edit. V III) praenomen illud omissum est. quare Ludouicus Ianus nuper Q. notam illam e loco Pliniano iure optimo eiecit. quae emendandi ratio etiam eo commendatur quod Plinius, ubicumque praeter locum quem citauimus Catulli mentionem fecit, praenomen omisit (cf. praef. § 1 xxviii 2 § 19 xxxvi 6 § 48 21 § 154), sicuti etiam quotiens Vergilii Horatii Ouidii nomina attulit, totiens praenomina reticuit. unde uero illa Q. nota commenticia in aliquot Plinii codices inlata est? hoc ut cognoscamus teneamus necesse est scribas [illegible] rum Pl[illegible]m codicum conpendia pronomin[illegible] uaria [illegible] exemplaria antiquiora utebant[illegible] inti [illegible] notam [illegible] (sic in palimpses[illegible]ino [illegible] Silligian[illegible] edit. vi 151, 15) [illegible] ideo[illegible] in notis perscrib[illegible] uniuersum de [illegible] Q [illegible] intellecta Ca[illegible] citi codic[illegible]

exempla non nulla Pliniana congerere non inutile erit. in libro igitur VIII 52 § 211 *L. Lucullus et Q. Hortensius* in codice d pro *et Q.* est *atque,* XXXV 18 § 200 *Amphionem Q. Catuli* in codice B *Amphionemque Catuli* et XVII 1 § 2 *Q. Catuli qui Cimbros fudit* in cod. a *quae Catuli quae C. f.* scripta sunt, VII 43 § 139 *Quintus Metellus in ea oratione* in cod. R a prima manu *Que Metellus* ab altera *Quod*, in cod. d *Quem* legitur, 60 § 214 *donec Q. Marcius Philippus* in R cod. *donec quae Marcius*, XXXVI 5 § 41 *idem et a Coponio XIIII nationes* in cod. R pro *Coponio quopunio* reperitur, unde Dalecampii codex *Q. Punio* fecit, XXXIII 3 § 45 *Hannibale urguente Q. Fabio Maxumo dictatore* in cod. B *urguente quem*, denique XXXVI 15 § 121 *sed dicantur uera aestumatione inuicta miracula : Q. Marcius Rex iussus a senatu aquarum ductus reficere. . . . .* in cod. B R d *quae Marcius* extat, unde apud Dalecampium per foedam interpolationem haec facta sunt *quae Marcius Rex fecit. is iussus.* quae cum ita sint, uiciniam qua uocabula *quem* et *Catullus* loco unde disputatio nostra orsa est coniuncta sunt censeo aliquid momenti habuisse et quodam modo effecisse ut in aliquot codicibus Q. nota Catulli nomini praeponeretur. namque quisquis illud praenomen inseruit, frequentia exemplorum pronominibus in praenomen Quinti mutatis emendandorum seductus est : et ita quidem ut cum pronomini praenomen simpliciter substituere per sensum loci non liceret, suspitio ei oreretur praenominis olim a Plinio scripti notam uicini pronominis nota simillima suo loco pulsam esse. itaque interpolator intempestiue memor Q. Catulorum in opere

Digitized by Google

Pliniano saepius obuiorum (cf. x 21 § 50 xvii 1 § 2 xviii 1 § 23 xxxv 18 § 200 xxxvi 6 § 49 15 § 109), quorum cum alterutro siue patre siue filio poetam confudit Veronensem, locum nostrum similiter atque ei suppleuit qui xxxvi 15 § 121 libris bonis lectionem *quae Marcius Rex* ofterentibus inde *quae Q. Marcius Rex* correxerunt. remouendum est igitur ex hac disquisitione testimonium Plinii.

Postea quam eis quae praecesserunt librorum Datani Riccardiani Cuiaciani inscriptiones ualde suspiciosas esse demonstrauimus, reliquum est ut id quod iam dudum Isaacus Vossius perspexit breuiter indicemus, eandem confusionem Catulli et Q. Catuli, quae erroris in codices aliquot Plinianos inculcati ansam dedit, caussam fuisse uideri ut illorum codicum trium tituli Quinti praenomen adsumerent. hoc autem modo libri illi inscripti sunt, Datanus *Q. Catuli Veronensis liber incipit ad Cornelium I* (u. tituli imaginem, quam Froehnerus in philologo Leutschiano xiiii 572 lithographi artificio exprimi iussit), Riccardianus *Q. Catulli Veron. Liber incipit ad Cornelium* (u. Huschkii analect. litter. p. 47), Cuiacianus *Qu. Valeri Catulli ad Cor. Nepotem Libellus* (cf. Scaligeri adnotamentum ad LXVII 12) : neque tamen continuo, quia in Datano *Catuli* scriptum reperitur, interpolatio aperte indicatur, quando quidem nomina Catuli et Catulli in libris manu scriptis sine ulla ratione saepissime alterum in uicem alterius exarata sunt, cf. Roberti Vngeri de Valgio Rufo libri p. 292. at tamen re uera Q. Catulum, cuius de carminibus Weichertus (de poetarum latinorum reliquiis

Digitized by Google

p. 127) non nulla conlegit, et Catullum a scribis permutatos esse codice adparatus Santeniani quodam dilucide edocemur, in quo pone Catulli librum Q. Catuli epigramma a Gellio noctium Atticarum xviii 9 14 seruatum subiunctum est : cf. Huschkii analectorum p. 48, qui praeterea scholium ad Iuuenalis saturam viii 186 (p. 300 Iahnii) spectans attulit, ubi simili ratione Catullus mimographus et Q. Catulus permutati sunt (cf. Schurtzfleischii et Crameri notas p. 339), cui scholio Grysarus de mimo p. 299 (cf. comment. acad. Vindob. xii a. 1854) et Ribbeckius ad comicos latinos p. 309 inconsiderate confisi quod mimographo nomen Q. Luctatii Catulli indiderunt magno opere miror. quid multa ? ex Gellii loco eodem quem modo diximus Q. notam illam arreptam et in Datani Riccardiani Cuiaciani titulos inculcatam esse ueri simillimum est. etenim cum loco illo (xviii 9) uersibus paucis ante quam in Q. Catulum poetam sermo incidit, Catullus poeta commemoretur, Itali, qui Gellii noctibus Atticis ad Catullianos codices interpolandos alibi quoque usi sunt (cf. quae Lachmannus ad lxxxxii 3. 4 adnotauit), in errorem facile seduci potuerunt, uel potius ut fallerentur paene necesse fuit, cum in libris Gellianis nomina Catulli et Q. Catuli non bene distincta reperirent. cui rei ut fidem faciam, librorum Gellianorum lectiones, quas humanitas et beniuolentia Martini Hertzii, uiri doctissimi, liberaliter mecum communicauit, hoc loco excribendae sunt, unde cognoscere licet omnes bonos codices et plerosque omnes interpolatos, quotquot ab Hertzio conlati sunt, duobus locis capitis viiii libri xviii, ubi Q. Catuli Gellius men-

Digitized by Google

tionem fecit, *Q. Catulli* habere. namque in paragrapho decima pro uerbis *et Q. Catuli*, ut a bonis libris recensendis ordiar, *atq: catulli* Regius, 7 (= et) *q̄. catulli* Vossianus maior, *et q.* uel *et .q. catulli* Vossianus minor codex reginae in Vatic. 597 Vaticanus 3452 Petauianus Sangermanensis Magliabecchianus, denique tres libri Parisini, quos interpolatorum specimen sibi comparaturus Hertzius per librum XVIIII contulit, Regii 8666 et 8667 et codex Sozomeni in bibl. inperiali (110 bibl. Vallariae) praebent. item in paragrapho quarta decima loco uerborum *Quinti Catuli* plurimi codices *Quinti Catulli* omnibus litteris perscripserunt, ita Reg. Voss. mai. cod. regin. 597 Vatic. 3452 Petauian. Sangerm. cod. Sozom., *q* . . (in uersus fine reliqua perierunt) *catulli* Voss. min., *Q. Catulli* Magliabecch. Reg. 8667. in uno Regio 8666, qui loco priore ipse quoque *Q. Catulli* habet, hic *Q. Catuli* scriptum est. ne quis autem a Gronouio dicente in ueteribus codicibus *Catuli* scriptum esse decipiatur, Hertzio duce adnoto illius uerba de editionibus olim inpressis intellegenda esse. denique Antonii Parthenii, qui a. MCCCCLXXXVI primus Catullum enarratione inlustrauit, uerba haec adferre lubet ex eius uita Catulli, cui Hieronymum secutus praenomen Gaio indidit, excerpta. *fuit,* inquit Parthenius, *et quidam alius poeta nomine Quintus Catullus Gellii atque Ciceronis* (de nat. deor. I 28 79) *testimonio commendatus.* uides quam bene omnia ad coniecturam nostram probandam conspirent.

Quae cum ita sint, neque ex Plinii loco neque ex codicibus Catullianis, de quorum titulis adhuc

Digitized by Google

certiores facti sumus, de Catulli praenomine quicquam concludi potest, neque sperare licet fore ut noua ex conlationibus Heysii et aliorum non dum editis de hac quaestione detegantur : cf. quae Heysius ipse de hac re in praefatione editionis suae p. VIII dixit. unde simul perspicitur de Quinti praenomine non amplius posse cogitari. quod non erit, opinor, qui Catulli et Plinii codicibus aut deficientibus aut fallentibus sola carminis LXVII 12 emendatione Scaligeri, unde in hac disquisitione egressi sumus, defendere uelit, quae (ut hoc argumentis quibus supra eam inpugnaui addam) ne a Catulli usu loquendi quidem satis tuta est. nam etsi poeta amplius uiciens se ipsum nomine adpellauit, tamen numquam aut praenomine aut nomine, sed semper cognomine usus est, ita ut facile ad sententiam inclinemus Catullum, si loco illo nomen suum addere uoluisset, item cognomine se adpellaturum fuisse : praeterea uix intellegeremus cur Catullus a ianua solo praenomine (cf. Horatii sat. II 1 32 II 6 36) familiarissime conpellari uoluisset. accedit ut Catullus a praenominibus nominandis in uniuersum abstinuerit. in toto enim eius libro, in quo permulta nomina et cognomina leguntur, duo tantum praenomina et ita quidem ut cognomina ilico eis addita sint reperiuntur, uide x 31 *Cinna est Gaius, is sibi parauit* et XXXXVIIII 2 *quot sunt quotque fuere, Marce Tulli* : nam *Manii* praenomen Lachmannus in carmen LXVIII 11. 30. 66 corrigendo falso intulit. itaque uix uereor ne in crimen credulitatis incidam, si uulgatum Italorum commentum *uerum isti populo ianua quidque facit* prae Scaligeri et Lachmanni coniecturis adprobauero.

Digitized by Google

Luculenter nobis demonstrasse uidemur Scaligeri de praenomine Catulli sententiam olim Venatori et Harduino probatam, cui, cum a Lachmanno nouis argumentis fulta esse uideretur, Silligius (in Iahnii annalibus XIII 284) Paldamus (de poet. Rom. amator. p. 25) Hauptius Handius (in progr. Ienens. a. 1848) Pleitnerus Froelichius Mommsenus (hist. Rom. III 579) Rossbachius Iungclaussenus alii accesserunt, deserendam esse. iam reliquum est ut uideamus num Gai praenomen, quod uiri docti olim poetae Veronensi tribuere solebant, testimoniis melioribus defendatur. supra iam docuimus codicum in hac disquisitione nullam auctoritatem esse. quam ob rem si forte in codicis P_2 inscriptione, quam p. 14 descripsi, uocabulum *Cal.* corruptum in *Cai* emendandum esset, haec lectio tamen omni fide careret. at Silligius pro *Cal.* bene *Val.* i. e. *Valerii* restituit eo confirmatum quod epigramma Catulli libro in codice hoc proxime antecedens ita inscribitur *Hextichum Guarini Veronensis Oratoris Clarissimi in libellum Valerii Catulli eius conciuis,* cf. Rossbachii progr. Vratislau. p. 3. similiter de inscriptione codicis Guelferbytani C uel 65, 2, qua Huschkius anall. litt. p. 47 ad Gai praenomen defendendum abutitur, res se habet, cum prorsus futilem eam esse adcuratissime probari possit. nam cum codicis huius ubique interpolationibus foedissimis inquinati (cf. Rossbachii praef. p. VIII) folium primum, in quo praeter titulum carmina tria priora scripta erant, olim amissum a manu recenti suppletum sit (cf. Silligius l. c. p. 264), nemo erit qui praenomini *Cai*, quod in titulo inest, fidem habeat. num in aliis codicibus

Digitized by Google

praenomen Gai Catullo attribuatur nescio, hoc tantum scio Osannum, cum ex uerbis quae Silligius in editione p. 3 de Catulli praenomine fecit, illum in aliquot a semet ipso examinatis codicibus G. notam repperisse concluderet, errauisse. namque Silligius ipse annalium philologicorum loco quem iam saepius attuli p. 284 in ullo codice quem ipse contulisset praenomen scriptum esse negauit. denique ne ad lapidis quidem hodieque Veronae adseruati inscriptionem hanc *D. M. Ipsithillae dulcissimae C. Valerius Catullus leporibus suis moerens posuit* ex Ciampini monumentis Romae editis anno 1690 apud Tentzelium colloq. III 136 et, ut e Schurtzfleischii ad Iuuen. schol. p. 339 Cram. uerbis conicio, in Maluasiae marm. Felsin. p. 503 repetitam quisquam ut Gai praenomen tueatur prouocabit, quippe quae ex Catulli carmine trigesimo altero pueriliter ficta sit, cf. Maffei mus. Veron. p. 190, 7 et Osannus de praenomine Catulli p. 13. contra testes duo incorrupti ac locupletes in promptu sunt qui pro Gai praenomine stant, Apuleius et Hieronymus. quorum ille in libri de magia capite decimo p. 405 Oudend. 279 Elmenh. haec uerba scripsit *hic illud etiam reprehendi animaduertisti quod, cum aliis nominibus pueri uocentur, ego eos Charinum et Critiam adpellitarim. eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit et Ticidam similiter, quod quae Metella erat Perillam scripserit.* quo loco quotquot codices conlati sunt in lectione quam exhibuimus consentiunt, si non nulli omittuntur *C. Catulum* praebentes (cf. Hildebrandus ad h. l. p. 465) : quem ad errorem uulgarem Apulei scribae hoc loco eo magis

inclinare potuere, quod illum Catulum poetam, cuius modo mentionem faciebamus, in capite proxime antecedente ipsum quoque commemorauerat Apuleius. quid? quod propter hanc ipsam commemorationem paullo ante factam Apuleius haud scio an praenomine addito cauere uoluerit ne iudices Catulum et Catullum confunderent. alter testis quo praenomen Gai defenditur Hieronymus est, qui ad Eusebii chron. ol. CLXXIII annum II haec ex Suetonio de uiris inlustribus excerpta adnotauit *Gaius Valerius Catullus scriptor lyricus Veronae nascitur.* quo loco cum ceteri codices praenomen Gai praebent, tum in omnium codicum uetustissimo et optimo Bongarsiano, qui saeculo octauo litteris maiusculis scriptus est, praenomen non tam nota indicatum quam omnibus litteris ita perscriptum est ut supra in loco Hieronymi adferendo exhibui, cf. Reifferscheidius ad Suetonii reliquias p. 22. 39. 383. talis codicum omnium in duobus duorum scriptorum locis consensus plurimi habendus est, neque quicquam caussae adest cur uel alterius uel utriusque scriptoris testimonium suspectum ducamus. namque Apuleium, etiam si in praenominibus citandis neglegentior fuerit (cf. de mag. 66 p. 538 Oudend.), in poetae clarissimi praenomine errasse minime ueri simile est. Suetonius autem sine dubio uero Catulli praenomine usus est neque probabile uerum ab Hieronymo corruptum esse, qui in omnibus locis quos ex Suetonii de uiris inlustribus libro excerpsit, ne semel quidem in praenominibus recensendis peccauit. *Titi* enim praenomen, quod in fragm. 5 Reiffersch. a codicibus Livio tragoediarum scriptori tribuitur, non tam ab Hieronymo

Digitized by Google

quam a scribis Liuium tragoedum cum Liuio rerum scriptore confundentibus additum esse post C. F. Hermannum (u. disputationem de uiris inlustribus, quorum tempora Hieronymus ad Eusebii chronica adnotauit p. 3) Reifferscheidius recte intellexit. itaque censeo Catullum Gai praenomine usum esse : id quod olim uiri docti plerique omnes crediderunt, nuper solus Osannus pluribus defendit.

Restat ut de nomine gentilicio Catulli disputemus. quod neque in codicibus bonis neque a poeta nominatum tamen non est dubium, cum aliunde testimoniis locupletissimis memoriae traditum sit. Osannus quidem fallitur l. c. scribens *testium qui miretur penuriam in poetae clarissimi praenomine, eam etiam magis mirabitur in gentilicio eius nomine hactenus ex solo commentatore Horatii Cruquiano p. 398, quem Lachmannus confert, adlato.* nam praeter commentatorem Cruquianum etiam Porphyrio ad Horatii saturarum I 10 19 et Hieronymus l. c. Catullo nomen Valeriorum gentile ascripserunt, denique Suetonius quoque (in Iulio 73) poetam Valerium Catullum nominauit. recte uero Osannus intellexit Charisii locum quendam alicuius hac in re momenti esse, nec tamen primus intellexit. nam iam anno prius quam Osannus illa de Catulli praenomine conscripsit, Mauricius Hauptius in indice lectionum Berol. aestiu. a. 1855 locum Charisianum eundem optime et emendauerat et explicauerat. et ita quidem Hauptius, quem Keilius secutus est, Charisium instit. gramm. I 75 P. 97 Keil. scripsisse demonstrauit '*hos pugillares*' *et masculino genere et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valerium, quia pugillus*

Digitized by Google

est qui plures tabellas continet in seriem sutas. at tamen 'haec pugillaria' saepius neutraliter dicit idem Catullus in hendecasyllabis. item Laberius in piscatore singulariter 'hoc pugillar' dicit. quo loco libellum quendam ab Asinio Polione in Valerium Catullum scriptum indicatum esse Hauptius et Osannus coniecerunt, quorum sententiae quae opposuit Bernhardius in historia litterarum Romanarum p. 515 nihili esse uidentur. ceterum alterum locum ignoro in quo Catullus nomine solo gentilicio adpellatus sit. nam Valerium, cuius mentionem Cicero in epistula ad Trebatium VII 11 3 hisce uerbis fecit *sed heus tu quid agis? ecquid fit? uideo enim te iam iocari per litteras . . . . si cito te rettuleris, sermo nullus erit: si diutius frustra afueris, non modo Laberium sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco. mira enim persona induci potest Britannici iuris consulti. haec ego non rideo, quamuis tu rideas, sed de re seuerissima tecum ut soleo iocor* . . . a Catullo Veronensi omnino seiungendum esse, quamquam olim Achilles Statius et nuper, id est ante hos quadraginta fere annos, Huschkius de Annio Cimbro p. 27 eos coniunxerunt, hodie omnes opinor concedent. nam, ut Orellius onomast. Tull. p. 628 et Ribbeckius rel. comic. lat. p. 258 recte intellexerunt, ex Ciceronis loco quem excripsi conligendum est Valerium illum fabulas Atellanas uel mimos scripsisse. at quisnam ausit Catullo Veronensi huius modi carmina tribuere? accedit ut demonstrari nequeat Catullum anno 701/53, quo Cicero illam Trebatio epistulam misit, etiam tum in uiuis fuisse. itaque equidem non dubito quin eorum sententia adprobanda sit qui

Digitized by Google

Valerium illum cum L. Valerio iuris consulto, ad quem Cicero epistulam I 10 misit et quem in epist. III 1 3 Appio Claudio proconsuli commendauit, conectunt. etenim cum ex epistulis a Tullio ad Trebatium et L. Valerium missis utrumque adpareat iuris consultum utrumque cum Cicerone intima familiaritate coniunctum utrumque iuuenem iocosum, denique utrumque, cum eodem tempore in prouinciis de iure consulentibus responderet, fere aequalem fuisse, coniectura satis facilis ac prompta est Trebatium et L. Valerium amicos fuisse et Ciceronem in epistula illa L. Valerium iuris consultum amicum suum et Trebatii commemorasse. quid? quod paene coniecerim Valerium, qui in iuris prudentia parum profecit, iuris prudentiae anteposuisse studia poetica a Cicerone in epistula illa significata. non igitur licet loco epistulae Tullianae uti ut solo nomine gentilicio Catullus adpellatus esse probetur. neque quicquam Roberti Vngeri de Valgio Rufo p. 45. 455 ariolationibus de scholio ad Vergilii ecl. VII 22 Veronensi factis tribuendum est, qui tamen p. 206 locos non nullos attulit, in quibus nomen Valerii solum pro Valerio Flacco et pro Valerio Maximo scriptum reperitur.

Satis igitur conpertum habemus Catullum e Valeria gente fuisse. Valeriae autem gentis quamquam homines permulti noti nobis sunt, tamen nullus Valerius in monumentis litteratis Romanorum reperiri potest qui cum Catullo poeta cum eiusque familia propinquitate aliqua coniunctus fuerit, praesertim cum pauca tantum nomina eorum quibus cum Catullo eadem familia erat, ad nostram memoriam peruenerint. nam Valeriorum Catullorum

Digitized by Google

praeter poetam eiusque patrem et fratrem admodum pauci commemorari uidentur. sunt enim quod sciam hi : L. Valerius Catullus triumuir monetalis Augusti temporibus uiuens, cuius nomen in numo aereo descriptum legitur (cf. Riccius de famil. ueter. num. p. 230 Eckhelii doctrina numorum v 333), deinde M. Annius Valerius Catullus, qui in hoc titulo apud Gruter. 480, 5 conparet *Sex. Valerio. Sex* || *Fil. Fab. Poblicolae* || *Vettiliani. Eq. R. Eq. P* || *Flaminis. Perpetui. Sacerd* || *Vrbis. Romae. Aeterno. Cura* || *tori. Et. Patrono. Ciuitatum* || *Vardagatensium. Et. Dripsin* || *atium. Patrono. Colleg. Omnium* || *Omnibus. Honoribus. Perfuncto* || *V. B. Qui. Vixit. Sine. Vlla. Querella. Cum* || *Coniuge. Infrascripta. Annis N. LV Et Nonie. M. F. Arrie. Hermionille* || *Summa. Pietate. Ab. Eis. Dilectus. Avis* || *Rariss. M. Annius. Valerius. Catullus. Nepos.* denique nomen delatoris sub Domitiano inperatore florentis integrum C. Valerius Catullus Messalinus fuisse uidetur, cf. Iuuenalis sat. IIII 113 Plinii epist. IIII 22 Taciti Agr. 45 inscript. apud Grut. 314, 3. contra, si a cognomine discedimus, gentem Valeriam per Catulli poetae prouinciam patriam late propagatam fuisse inscriptiones ibi repertae testantur luculenter, neque praetermittamus adnotare illum ipsum titulum, quem modo e Grutero excripsimus, in agro Brixiano effossum esse : id quod C. F. Hermannum l. c. p. 9 non fugit. cf. inscriptiones apud Orellium 1872 5991, apud Gruter. 868, 2 892, 6, ubi Valerii Veronenses commemorantur, et praeterea apud Orellium 454 2183 (3905) 3744 4825 4826 7067 7201 alias.

Digitized by Google

De Catulli patria omnia satis in luce posita sunt. atque poeta ipse, etsi ubi loci natus sit non indicauit, tamen prouinciam patriam clare significauit. nam et Transpadanos adgnoscit populares suos, cf. xxxviiii 13 *aut Transpadanus, ut meos quoque attingam* (u. apud Quintilianum i 5 8 *Catullus 'ploxemum' circa Padum inuenit*), et multa alia in eius libro leguntur quae poetam ex Gallia Cisalpina oriundum fuisse probant. cf. carm. xxxi lxvii xxxv 3 lxviii 27 c 2. eadem origo a Plinio praef. hist. nat. § 1 indicatur, quippe qui ipse Novi Comi natus Catullum 'conterraneum suum' nominet. simili ratione Martialis xiiii 100 Raetiam Catulli patriam adpellat his uersibus

si non ignota est docti tibi terra Catulli,
potasti testa Raetica uina mea.

at urbs Catulli patria ab Ouidio commemoratur amorum iii 15 7

Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo,
Paelignae dicar gloria gentis ego,

quicum Martialis epigram. xiiii 195

tantum magna suo debet Verona Catullo,
quantum parua suo Mantua Vergilio.

et i 7 2 x 103 5 et Plinius hist. nat. xxxvi 6 48 et Hieronymus l. c. et Nonius p. 546, 27 et Priscianus p. 546 P et interpres Veronensis ad Vergilii ecl. vi 1, denique codices Catulliani, ut supra diximus, consentiunt. quin urbs Catulli patria adeo in uulgus nota erat ut Catullus saepius 'poeta' uel 'uates Veronensis' adpellaretur, cf. Macrobii Saturn. ii 1 8 '*Saturnalibus optimo dierum*' *ut ait Veronensis poeta*, Ausonii praef. ad Pacat. p. 332 Bip.

Digitized by Google

'*cui dono lepidum nouum libellum*' *Veronensis ait poeta quondam*, Martialis ep. I 61 1 *Verona docti syllabas amat uatis.* omnes igitur qui de hac re rettulerunt scriptores Veronensem esse Catullum adfirmant. nihilo minus non nulli uiri docti in Sirmione paeninsula in Benacum lacum excurrente Catullum natum esse dixerunt, quorum sententiam, quam iam olim Scipio Maffeius Veronae inlustratae III 27 ullo fundamento inniti recte negauit, tamen et Baehrius in historiae litterarum Romanarum I 402 et A. G. Zumptius in Leutschii philologi XII 754, quasi res esset certissima et omni exempta dubitationi, secure propagarunt. atqui dixerit quispiam, qua re isti moti sunt ut Sirmione Catullum natum dicerent? ad carmen XXXI prouocant, quo Catullus ex Bithynia reuersus Sirmionem dulcissimis uersibus salutauit : sed inde quod carminis illius uersu nono Catullus se ad larem suum uenisse et desiderato adquiescere lecto ait, deinde quod uersu duodecimo et sequentibus Sirmionem ero reuerso gaudere et quidquid domi sit cachinnorum ridere iubet, denique quod phaselus in lacu Benaco recondita senet quiete (cf. IIII 25), quiuis uidet minime sequi necessario ut Catullus in Sirmione paeninsula natus sit, sed id tantum certo illis locis effici ut Catullus paeninsulam paruam illam possederit. nisi autem idoneis argumentis Catullum Sirmione natum esse adcurate antea demonstratum est, sumere nobis non licet eos qui Catullum Veronensem fuisse dixerunt scriptores aeque incuriose locutos esse atque ei qui Vergilium, quem in pago qui Andes dicebatur natum esse scimus, urbis uicinae caussa Mantuanum adpellare maluerunt. atque ne possumus quidem

Digitized by Google

id sumere. nam etiam si poetas pro Sirmione, si ibi Catullus natus fuisset, Veronam nominare potuisse facile concederemus, tamen idem facere Hieronymo uel, ut uerius loquar, Suetonio, qui poetarum adcuratam historiam scripsit, non licuisset. qui, si Catullus Sirmione in lucem editus esset, sine dubio eadem id diligentia adnotasset, qua Vergilii pagum patrium non reticuit. sed Hieronymus ex Suetonio desumpta haec docet *Catullus . . . Veronae nascitur* : quibus uerbis sententia quam nos defendimus extra omnem dubitationem ponitur, praesertim cum Veronae Catullum saepius habitasse ex carminibus xxxv 3 et LXVIII[a] 27 manifestum sit.

Iam igitur docuimus quale uerum poetae nomen quaeque eius patria fuerit. fuit enim Gaius Valerius Catullus Veronensis.

Digitized by Google

II

Sed iam ad grauiora conuertamur. quaeritur enim quo tempore uixerit Catullus. quod, si in uniuersum spectamus, quamquam dubium non est, quoniam multa a poeta commemorata demonstrant eum sub saeculi ab urbe condita septimi finem floruisse, tamen de anno et natali et fatali inquirentibus nobis difficultates haud paruae exoriuntur. seruatum quidem est testimonium scriptoris ueteris de utroque illo anno satis planum atque apertum. at hoc quamuis apertum sit, tamen falsum aut certe non omni ratione adcuratum esse dudum perspectum est. Hieronymus enim adnotamentum illud, quo supra ad Catulli praenomen constituendum usi sumus, *Gaius Valerius Catullus scriptor lyricus Veronae nascitur* ad olympiadis CLXXIII annum secundum (h. e. ab u. c. 667/87 a. Chr. nat.) et hoc alterum *Catullus XXX aetatis anno Romae moritur* ad olymp. CLXXX annum quartum (h. e. ab u. c. 697/57) ascripsit. quacum Catulli aetatis definitione 'uita Catulli' consentit in editionibus annorum 1472 et 1481 descripta et ab

Digitized by Google

Huschkio anall. litt. p. 53 repetita haec *Valerius Catullus, scriptor lyricus, Veronae nascitur olympiade CLXXIII anno ante natum Sallustium Crispum diris Marii Sullaeque temporibus, quo die Plotius latinam rhetoricam primus Romae docere coepit. amauit hic puellam primariam Clodiam, quam Lesbiam suo adpellat in carmine. lasciuiusculus fuit et sua tempestate pares paucos, in dicendo (ef)frenata oratione superiorem habuit neminem. in iocis adprime lepidus in seriis uero grauissimus extitit. erotica scripsit et epithalamium in Manlium. anno uero aetatis suae XXX Romae moritur elatus moerore publico.* tamen haec uita eiusque cum Hieronymi adnotamentis congruentia nihili aestimanda est, quoniam ea tantum abest ut ex antiquitate, id quod Huschkius et Paldamus (p. 26) et Bernhardius quoque, si quae in litterarum historia p. 514 scripsit recte interpretor, sibi persuaserunt, superstes et servata sit, ut ab Italo saeculi xv quodam consarcinata sit. qui unde cognitionem suam hauserit non ignoramus. maxima enim uitae pars ex non nullis adnotationibus ab Hieronymo ad Eusebii chronica additis consuta est. quae res cum eo probatur quod error ab Hieronymo de anno siue natali siue fatali commissus in uita quoque legitur, tum eo quod quae de Sallustio et Plotio narrantur apud eundem Hieronymum extant et ita quidem, ut quae ad Plotium pertinent adnotamento quod de Catulli anno natali est proxime antecedant, contra quae ad Sallustii annum natalem spectant illi proxime subiciantur. his tribus Hieronymi obseruationibus simul cum ea quam de Catulli morte idem conposuit usus Italus ille non cauit ne in errores graues incideret. atque primum

Digitized by Google

Italum quae de die Catulli natali ariolatur ipsum finxisse mihi quidem certissimum est, deinde si temporum rationes spectamus, quas fusius explicare neque huius loci et longum est, fieri non potuit ut natali demum anno Catulli uel praecedente a. 666/88 Plotius Gallus rhetoricam Latinam docere coeperit, atque luce clarius est ab Italo, qui loco Ciceronis ab Hieronymo adlato seductus est, annum 666/88, quo floruisse Plotium Hieronymus testari uoluit (cf. C. F. Hermannus l. c. p. 9), cum eo confusum esse quo docere ille coepit. uides igitur ne minimam quidem auctoritatem uitae illi ascribi posse.

Ut igitur eo redeamus unde paullo ante egressi eramus, Hieronymi definitionem aetatis Catulli falsam esse his rebus quam manifestissime elucet. quamquam Hieronymus Catullum anno 697/57 e uita decessisse docet, tamen Catullus ipse carmine CXIII 2 testatur se Pompeium anno 699/55 iterum consulem uidisse : quocum loco carmen LV 6 conferendum est, quo Pompei eiusdem 'Magni ambulatio' commemoratur, quam ille eodem anno quo iterum consul erat extrui iussit. porro Catulli carmina XI et XXVIIII post expeditionem anno 699/55 a Caesare in Britanniam factam scripta sint necesse est. denique in carmine LIII rem quandam lepidam Catullus narrat, quae cum Licinius Caluus mense Sextili a. 700/54 in Vatinium apud iudices egit, accidit. praeterea aliae etiam res in libro Catulliano reperiuntur quibus serius quam Hieronymus indicauit Catullum mortuum esse demonstratur : sed nihil inest quo post annum 700/54 poetam Veronensem uixisse credere cogimur. cui senten-

Digitized by Google

tiae quaecumque opponi solent, omnia in non nullorum carminum praua interpretatione nituntur. et aliquot quidem errores ab interpretibus priorum saeculorum commissos uix opus est recensere, cum iam dudum explosi sint. ueluti Petrus Crinitus et alii uersibus his

sic forsan tener ausus est Catullus
magno mittere passerem Maroni,

quibus Martialis epigrammatum IIII 14 13 temporum rationes nihil prorsus curans exemplo utriusque antiquioris poetae rationem uel discrepantiam inter suam et Silii Italici poesim intercedentem indicare uoluit, decipi se passi sunt ut Catullum cum Vergilio carminibus iam insignem gloriam adepto familiaritate coniunctum fuisse crederent : quod si uerum esset, poeta Veronensis ultra tempora triumuiratus alterius uixisset. maiore ueri specie non nulli uiri docti ex carmine undetrigesimo Catullum bellum Pompei et Caesaris ciuile uidisse sibi uisi sunt demonstrare posse : qua in re eos errasse infra in capite VIIII adparebit. sed omnes incredibili quadam peruersitate Scaliger, uir hac in re plane sui dissimilis, superauit, ut pote qui in animaduersionibus ad Eusebium p. 155 carmen XXXIIII *Dianae pueri integri* pro carmine saeculari, quamquam ne uerbum quidem ibi de saeculo legitur (cf. Theodorus Marcilius in asterismis p. 8 Bentleius in praefatione ad Horatium p. XIII ed. Lips. M. Hauptius in quaestionum Catullianarum p. 14), haberet et in ludos saeculares ab Augusto anno 737/17 celebratos, quibus Horatius suum carmen saeculare destinauit, scriptum esse arbitraretur. haec omnia moramur nihil :

Digitized by Google

contra adcuratam disquisitionem carmen LII exigit, quod omnibus fere grammaticis certissimo fuit documento Hieronymum falsa rettulisse, quippe quod sub finem anni 707/47 scriptum esse luce esset clarius. age dum igitur excribamus enarremusque carmen illud conclamatum hisce quattuor uersibus conceptum,

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
sella in curuli Struma Nonius sedet,
per consulatum peierat Vatinius:
quid est, Catulle? quid moraris emori?

A uersu secundo explicando initium capiamus, de quo praeter Scaligerum A. Haakhius (in Paulii encycl. v 688) G. Teuffelius (u. carm. Catulli selecta in Germ. conuers. Stuttg. 1855 p. 53. 54) H. Lehmannus (in supplementis philologi Leutschiani II 205) coniecturam proposuerunt. Scaliger in locis duobus ad Attic. II 9 2 et in Vatin. 16 39, quibus Cicero strumam Vatinii (ea enim eum laborasse constat, cf. Plut. Cic. 9. 26. in Vatin. 2 4. 4 10 cum schol. Bob. p. 316 Cic. pro Sest. 65 135 cum schol. Bob. p. 310) commemorauit, pro adpellatiuo nomine proprium restituens Strumam Nonium Catulli resuscitasse sibi uisus est: omnia parum considerate, ut quiuis intellegit. Scaligeri error primarius fuit quod Strumam non tam conuitium quam uerum cognomen Nonii fuisse putauit. primum enim Strumae cognomen nusquam quod sciam inuenitur, nedum Nonius quidam alius Struma: deinde Boethius loco quem infra describemus illud pro conuitio habuit neque aliter, ut uidetur, Marius Victorinus (p. 2575 P. 174 Gaisf.), qui,

Digitized by Google

cum uersum secundum memoriter citaret et Nonio a colli tumore quodam cognomen infame ortum esse meminisset, Strumae loco scrofularum quas uocabant caussa in Scrofae nomen incidit. denique Plinium idem de Strumae nomine cogitasse locus quem p. 15 descripsimus demonstrat, quo quis Nonius senator fuerit adcuratius significaturus Plinius, uersus Catulliani memor et nominis utriusque ordine eo quo uti Catullo lubuerat seruato, illum filium Strumae Nonii eius quem Catullus in sella curuli uisum indigne tulisset dixit. unde Nonium senatorem Strumae cognomine caruisse conicere licet: qua re sententia a nobis defensa magno opere commendatur. itaque Scaligero Vulpio Forcellino Doeringio aliis multo prudentius Haakhius et post eum, si Heysium, qui conuitium in Strumae nomine reconditum uertendo recte expressit, omittimus, Teuffelius et Lehmannus disputauerunt, cum Nonium Asprenatem, qui ab aduersariis suis conuitii caussa cognomine Strumae dictus esset, a Catullo in carmine LII commemoratum esse dicerent. Catullum enim (ut quae Lehmannus hac de re nuper disputauit breuiter conprehendam) Caesari inimicissimum fuisse, Vatinium contra illius consilia fide maxima et industria adiuuisse: quare cum poeta sibi moriendum dicat, quia et Nonius et Vatinius summis fruantur honoribus, dubitari non posse quin uterque Caesari addictus fuerit. iam uero cum Asprenas quidam proconsul Caesarem aduersarios bello Africano persequentem comitatus ab hoc aciem apud Thapsum anno 708/46 instructuro cum duabus legionibus in praesidio castrorum relictus sit (u. bell. Afr. 80) et anno insequenti equites ex Italia

Digitized by Google

in Hispaniam ad Caesarem perduxerit (u. bell. Hisp. 10), cumque is uir Caesaris partes tum secutus ex Noniorum gente fuerit propter cognomen Asprenatis, quo uni Nonii usi sint, necesse sit, nos facere non posse quin Nonium eundem qui Caesaris amicus siue Catulli aduersarius curuli magistratu functus sit, postea ad proconsularem dignitatem sumamus promotum esse. his a Lehmanno ueri simillime disputatis pauca tantum habeo quae addam. de Strumae enim nomine Boethius de consol. philos. III pr. 4 haec habet *num uis ea est magistratibus ut utentium mentibus uirtutes inserant uitia depellant? atqui non fugare sed inlustrare potius nequitiam solent. quo fit ut indignemur eos saepe nequissimis hominibus contigisse. unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem Strumam tamen adpellat.* quo loco non licet abuti ut demonstretur Catullum ipsum Nonii carpendi caussa Strumae nomen inuenisse. sed illud Nonii nomen ridiculum cum Quadrantariae cognomine Clodiae (u. infra cap. IIII) et Mentulae cognomine Mamurrae (u. infra cap. VIIII) et cum Hierosolymarii Sampsicerami Arabarchae nominibus Pompei (u. Drum. hist. II 226) et cum Canis cognomine Auidieni Horatiani (u. sat. II 2 56) conparandum tum cum Catullus illa scripsit, dudum notum et inueteratum erat. nam quis Catullum putauerit, si ipse Strumae nomen inuenisset et Nonio indidisset, Vatinium, quem cum Nonio simul castigauit quemque strumosum fuisse supra diximus, eodem cognomine cauillari omisisse? potius Catullus Nonium cognomine infami strumosum et Vatinium corpore strumosum non sine ludibrio Strumae cognomine ante nomen Nonii posito coniunxit: cuius rei

Digitized by Google

aliquid Weicherto (de reliq. poet. Lat. p. 130) et Drumanno (hist. Rom. v 683, 23) suboluit.

Sed quid de tempore quo Nonius in sella curuli sederit statuendum? recte Lehmannus adnotauit unum de hac re constare quod Catulliano carmine doceamur, Nonium in sella curuli tum sedisse, cum Vatinius per consulatum peieraret. quod quando Vatinius fecisse censendus sit iam inquiramus. uiri docti igitur plerique omnes uersum tertium *per consulatum peierat Vatinius* ita intellexerunt ut consulatum, quem Caesar Vatinio et Q. Fufio Caleno in extremos dies mensis Decembris anni 707/47 concessit (cf. Drumanni hist. Rom. III 567, 71 VI 249, 46) Catullum uidisse putarent. quod si uerum esset, Catulli uita minimum ad finem usque anni 707/47 esset continuanda: cui rei quam maxime id obstare uidetur quod in nullo libri Catulliani carmine res commemorantur quae inter annos 700/54 et 707/47 acciderunt. etenim cum carmina permulta in libro Catulliano insint quae anno 700/54 et proxime antecedentibus Catullus scripsit, id quod infra luculenter demonstrabimus, miramur qui factum sit ut ne unum quidem carmen reperiri possit quod poeta intra septennium annum 700/54 subsequens conposuerit, cum praesertim anni illi e maxime memorabilibus totius rei publicae Romanae fuerint: cogita quaeso Catullum de anno 702/52 turbulentissimo, quo Clodius periit, de annis 705/49 et 706/48, quibus bellum Caesaris et Pompei ciuile exarsit et confectum est, de bello Alexandrino anni 707/47 uerbum omnino nullum fecisse neque quicquam commemorauisse quod ulla ratione cum rebus illis cohaereat. cuius argumenti uim

Digitized by Google

iam adgnouit qui hac in quaestione non tam consulto quam forte fortuna carmen LII in usum uocare omisit, Isaacus Vossius. qui cum Hieronymus quae de anno Catulli fatali docuisset falsa esse intellexisset, ea de caussa quia Catulli scripta nihil quod non praecessisset bellum ciuile Caesaris et Pompei continerent, coniecit poetam ante hoc bellum librum suum edidisse ac uiuere desiisse (cf. obseruationum in Catullum p. 82. 83) et mortem Catulli aut anno 702/52 aut anno bello illi proxime antecedenti 704/50 adsignauit obseruatione rectissima non satis caute usus.

At num credere cogimur Catullum Vatinium consulem oculis uidisse? minime. iam uir doctus nescio quis in Zimmermanni diariis (anni 1834 I 958) et huius ut uidetur nescius Mommsenus (histor. Roman. III[1] 304 uel III[2] 314), cuius sententiam Iungclaussenus in commentatione de carminum Catullianorum temporibus a. 1857 edita adprobauit, rectissime adnotarunt Catulli uerba non ita conparata esse ut inde illud necessario concludendum sit. quid enim est quod Catullus in Vatinio aegre ferat? *per consulatum peierat Vatinius* h. e. consulatu quasi teste inuocato Vatinius periuria facit: errorem enim a Lehmanno nuper repetitum, quem Palladius Fuscus uerbis *per consulatum* arbitratus tempus quo Vatinius falso iurauisset indicatum esse olim commisit, refutare supersedemus. sed cur ponamus Vatinium, cum Catullus uerba illa scriberet, iam consulem fuisse? num probabile est Catullum, si Vatinium consulem uidisset, eius miserum et intermortuum consulatum in paucos dies illi a Caesare concessum tanta indignatione,

Digitized by Google

quanta in uersu tertio erumpit, dignum habuisse? nonne illa uerba de consulatu expectato aeque bene, immo etiam melius, quia tum sensus totius uersus multo acerbior fit, intellegi possunt? quin etiam de consulatu Vatinii futuro intellegantur necesse est. uerbis enim uersus secundi *sella in curuli sedet* in uersu tertio uerba *per consulatum peierat* respondent: alter magistratum tenet, alter expectat. ita si interpretaris, uerba *sedet* et *peierat* sibi opponuntur optime. sed quam inconcinne, si Vatinius iam tum consulatum gereret, uerba *sedet* et *peierat* se exciperent! tempora rei publicae, inquit Catullus, tam iniqua et tristia sunt ut Vatinius, homo inprobissimus, se consulem futurum esse gloriari et consulatu futuro ad iurandum seu potius, cum ille homo nequam nihil nisi falsum iuret, ad peierandum abuti audeat. est quasi dicat Vatinius 'ita consul fiam, ut quae adfirmo uera sunt'. hanc nobis probatam explicationem uersus tertii loci duo, qui in Ciceronis in Vatinium interrogatione anno 698/56 habita leguntur, mirum quantum commendant, quibus Vatinium iam diu ante quam consulatum adeptus est, de consulatu suo futuro, immo de altero suo consulatu loqui reuera consueuisse discimus. haec enim Tullius in Vatinium dixit 2 6 *at tamen hoc, Vatini, memento paullo post istam defensionem meam, quam tu bonis uiris displicuisse dicis, me cum uniuersi populi Romani summa uoluntate tum optimi cuiusque singulari studio magnificentissime post hominum memoriam consulem factum omniaque ea me pudenter uiuendo consecutum esse, quae tu inpudenter uaticinando sperare te saepe dixisti.* 5 11 *quaesturam petisti* (a. 690/64)

cum P. Sestio, cum hic nihil loqueretur nisi quod agebat, tu de altero consulatu gerendo te diceres cogitare. quid igitur rei esset iam olim Hadrianus Turnebus in aduersariorum XXI 11 intellexit, cum haec scriberet: *Vatinius inprobe uaticinando sperabat, inquit Cicero, consulatum: ariolabatur enim se consulem fore et per consulatum suum subinde iurabat, immo uero peierabat. proinde stomachose et dolenter scripsit Catullus 'quid est, Catulle? quid moraris emori?'* atque partem quidem aliquam ueri Scaliger adgnouit, cum Vatinium, quo tempore Catullus carmen LII fecit, consulatu non dum functum esse sed potius designatum fuisse consulem coniceret. denique ne de ueritate sententiae nostrae ulla relinquatur dubitatio, ea proferantur quae scholiasta Bobiensis (p. 315 Or.) ad locum priorem ex Vatiniana a nobis descriptum adnotauit. sunt ea autem hoc modo seruata *Ineptissimam Vatinii et paene furiosam* . . . . *consulatum iurauerit, qui primum sibi nec auderet optare. hanc ergo uaticinationem nominat spem uidelicet honoris quasi per dementiam cogitati.* quae uerba quo sensu scholiasta scripserit dubium esse nequit, etsi non nulla quibus sententia supplebatur perierunt. atque primum certum est scholiastam Bobiensem, cum Vatinium dixit per consulatum iurasse (quis enim de ueritate uoculae *per* supplendae dubitauerit?), de eius cupiditate et desiderio consulatus futuri cogitasse. deinde ueri simillimum est scholiastam, cum Vatinii per consulatum iurati mentionem fecit, Catulli carmen LII, quod prae aliis olim notum fuisse testimonia Plinii Victorini Boethii

Digitized by Google

Fortunatiani demonstrant, in animo habuisse : nam locutio per consulatum iurandi a uulgari dicendi usu adeo recedit ut grammaticum ultro in eam incidisse pernegandum sit. denique si quaeritur quo modo totus locus supplendus et emendandus sit, scholiastam, cum ad uerba Vatinianae illa (5 11) quibus Vatinius, quaesturae candidatus, de altero consulatu gerendo cogitasse traditur respexisset, ita fere olim scripsisse crediderim : *ineptissimam Vatinii et paene furiosam (uaticinationem dicit M. Tullius, qua hic per alterum) consulatum iurauerit, qui* (an *quia ?) primum sibi necligeret optare.*

Tantum igitur abest ut ad finem usque anni 707/47 Catullum uixisse carminis LII caussa nobis sumendum sit, ut id quod supra ceteris carminibus consideratis diximus in Catulli libro nihil post annum 700/54 factum commemorari, carmine nostro diligenter examinato minime redarguatur. sed noua nobis quaestio instituenda est. quaeritur enim cuinam anno iam carmen LII ascribendum sit. cum carmina quotquot Catullus in Caesarem et Caesarianos scripsit, intra biennium quod a medio fere anno 698/56 ad annum 700/54 medium fuit, scripserit, qua de re in capite nono adcuratius disputabimus, conicere licet carmen LII, quo duos Caesarianos acerbe perstrinxit, intra idem tempus poetam conposuisse. cui sententiae Mommsenus, quem Iungclaussenus sequitur, eatenus astipulatus est ut carmen nostrum anno 700/54 ascriberet partim eo motus quod Catullus hoc anno librum suum edidisset, partim eo quod iam tum neque anno demum 707/47 Vatinius, cuius nomen a triumuiris mense Aprili anni 698/56 Lucam congressis

Digitized by Google

in longas consulum futurorum paginulas (cf. Cic. ad Att. IIII 8^b 2) sine dubio relatum fuisset, per consulatum cum caussa peierare potuisset. sed eadem argumenta, ut quiuis uidet, in auxilium uocari possunt ut annus 699/55 commendetur, quem equidem (si in tanta rerum obscuritate coniecturam proponere fas est) praetulerim. si enim id temporis momentum inuestigare temptamus, quo intra biennium illud Vatinium superbia atque inpudentia sese quam maxime extulisse et ideo Catullo quam maxime inuisum se reddidisse ueri simile est, hoc tum incidisse putauerim, cum Vatinius opibus in primis Caesaris adiutus, cuius amore omnia quae uellet consecuturum sese dicere solebat (cf. in Vatin. 16 38), M. Catone conpetitore grauissimo repulso prioribus anni 699/55 mensibus praetor recens creatus erat. Nonium autem comitiis aediliciis mox post consularia a Pompeio habitis aedilem illius anni curulem creatum esse censuerim. quibus in comitiis quo uehementius et acrius non solum suffragiis sed etiam armis pugnatum est, eo magis aduersarii trium uirorum se succubuisse indignabantur, atque eo magis Nonius, si in illis ipsis comitiis creatus candidatos optimatium uicerat, prae aliis Caesarianis Catullo inuisus erat. ceterum de comitiis et consularibus et aediliciis a. 699/55 cf. Drumanni hist. Rom. III 279. 280 VI 46. praeterea cauendum est ne a Pighio annalium III 388 in errorem seducamur, qui Sempronium quendam Atratinum aedilem anno 699/55 curulem fuisse sine ulla caussa idonea contendit. neque ea quae de aedilitate curuli a Nonio anno 699/55 gesta diximus subtiliore aetatis Nonii Asprenatis consideratione refelluntur. Nonii

Digitized by Google

enim filius cum, ut ex Plinio scimus, anno 711/43 ab Antonio proscriptus iam senator esset, tum uiginti quinque minimum annos natus fuit. unde conligere licebit Nonium patrem tum quinquaginta minimum annos habuisse : atque ad eandem fere aetatem patris ducimur, si Nonium suo anno aedilem anni 699/55 curulem fuisse censemus. denique quo anno Asprenas praeturam administrauerit, ex qua anno 708/46 proconsul factus est, nescitur. ex nostra igitur sententia poeta omnes rei publicae magistratus a Caesaris pedisequis occupari intra priores anni 699/55 menses carmine LII questus in proximis etiam comitiis par hominum strumosorum uictoriam reportasse ait, quorum alter primum ascensum ad honoris amplioris gradum (Cic. de leg. III 3 7) aedilitatem curulem adeptus esset, alter praeturae nuper sibi concessae honoribus non amplius contentus iam de summo omnium magistratu, de consulatu gerendo inpudentissime cogitaret.

Ex eis quae disputauimus primum adparet eis quae in carmine LII de Vatinii consulatu leguntur Catullum post annum 700/54 uixisse probari non posse, deinde Hieronymum, etsi ab omni errore absolui nequeat, tamen magni erroris crimine liberandum esse. nam si disputatio nostra uia recta progressa est, iam non tam decennio, quale erratum plerumque et uulgo chronographo inputant, quam triennio uel quadriennio iusto prius Hieronymus mortem poetae indicauit. quod dum scribimus, sumimus Catullum postea quam medio fere anno 700/54 librum suum edidisset, mox e uita decessisse. cui opinioni

Digitized by Google

aliquatenus praeter Hieronymum Ouidii auctoritas succurrit, qui amorum III 9 61 haec cecinit,

in Elysia ualle Tibullus erit :
obuius huic uenias hedera iuuenilia cinctus
tempora cum Caluo, docte Catulle, tuo.

deinde illud carmen LII, id quod post Paldamum (l. c. p. 28) Hauptius (quaest. Catull. p. 15) Helbigio (deutsche iahrb. 1842 p. 1214) astipulante sagaciter adnotauit, quandam quasi mortis praesensionem fractique animi et cui uitae pertaesum est adfectum continet. accedit ut libri Catulliani uestigiis non nullis poetam admoneamur iniqua ualetudine usum esse. primo loco carmen XXXVIII adferendum est,

Malest, Cornifici, tuo Catullo,
malest me hercule et est laboriose
et magis magis in dies et horas.
quem tu, quod minimum facillimumque est,
qua solatus es adlocutione?

quod carmen animum ad accipiendam offensionem propensum mollemque prodens tempore morbi ultimi in dies ingrauescentis poeta scripsit, sicuti Heysius et Teuffelius bene intellexerunt. praeterea ex carmine XXXXIIII 13 ascribendi hi uersus,

hic me grauido frigida et frequens tussis
quassauit usque dum in tuum sinum fugi
et me recuraui otioque et urtica.

quibus ex locis, dum cetera quae ad hanc rem faciunt considero, tempus satis diuturnum quo poeta aegrotabat et uitae aetatem qua non diu fratri superstes obiit, con-

Digitized by Google

iecerim Catullum tabe quadam lenta absumptum esse. adcuratiora de mortis Catulli tempore erui nequeunt. etiam uerba quae in Cornelii Nepotis uita Attici (12 4) leguntur haec, *idem L. Iulium Calidum, quem post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem uere uideor posse contendere neque minus uirum bonum optimisque artibus eruditum, post proscriptionem equitum . . in proscriptorum numerum . . absentem relatum expediuit*, in hac disquisitione nullius paene momenti esse possunt, cum Nepos illa circiter annum 720/34 scripserit (cf. Nipperdei prolegomena ad Nepotem p. xiii). unum addere lubet Nepotem, cum Lucretii Catullique mortis mentionem faceret, nomina ita conlocauisse ut temporis ordinem non neglegeret. Lucretium enim non multo ante Catullum anno 699/55 ex uita decessisse constat.

Iam caussa quaerenda est qua motus uel potius seductus Hieronymus errauerit. atque Lachmanno Hauptioque cum usque ad Vatinium consulem Catullum in uiuis fuisse sibi persuasissent, aliquid inuestigandum fuit quo decem annorum error Hieronymi explicaretur. quod Lachmannus sibi uisus est in Hieronymi confusione duorum consulum cognominum inuenisse alterius Cn. Octauii Cn. f. Cn. n., qui cum L. Cornelio L. f. L. n. Cinna a. 667/87 consul fuit, cum altero Cn. Octauio M. f. Cn. n., qui anno 678/76 C. Scribonium C. f. Curionem conlegam in consulatu habuit. Hieronymum enim poetam, quem Cn. Octauio M. f. C. Scribonio Curione coss. h. e. anno 678/76 natum dicere debuisset, falso decennio prius anno 667/87 Cn. Octauio

Cn. f. L. Cornelio Cinna coss. natum esse docuisse: quo facto chronographum, cum apud Suetonium trigesimo anno aetatis poetam Veronensem mortuum esse legisset, ut de natali ita etiam de fatali anno decennii metachronismum commisisse. Lachmannus igitur, cui Hauptius quaest. Catull. p. 15 Bernhardius hist. litt. Rom. p. 514 C. F. Hermannus ad Hieron. excerpt. p. 10 Reifferscheidius ad Sueton. p. 39 adsenserunt, Catullum opinatur ab anno 678/76 ad annum 708/46 usque uixisse (u. ad Lucretium p. 174). quae sententia speciosior quam uerior eis refellitur quae supra de carmine LII disputauimus, unde cum Catullum Vatinio consule etiam tum superstitem fuisse conligere non liceat, caussa omnis et quasi fundamentum totum coniecturae Lachmannianae subtractum et ademptum est. deinde ea maxime inprobabilis uidetur, si ad Lesbiae puellae a poeta amatae aetatem respicimus. etenim ex eis quae infra de Lesbiae temporibus exponemus, elucebit nobis ualde cauendum esse ne Catullum aliquanto posterius quam Hieronymus indicauit natum esse ponamus. neque uiri docti ante Lachmannum de ueritate anni natalis ab Hieronymo indicati dubitauerunt, sed carmine LII seducti non tam tricenarium quam quadragenarium poetam a. 707/47 mortuum esse statuerunt, ita Weichertus de L. Varii uita p. 24 et Paldamus de poet. Rom. amator. p. 28 et Munkius hist. litt. Lat. II 178. quos ne hanc sententiam proponerent cautiores reddere debebat id quod Vatinio extremis demum mensis Decembris a. 707/47 diebus consulatum adepto Catullum ipsis eisdem diebus librum suum edidisse et protinus mortuum esse sumendum erat.

Digitized by Google

restat ut de probabilitate et caussis erroris trium annorum quem Hieronymum commisisse nos putamus, pauca addamus. et caussam quidem erroris libere confiteor in scriptore erroribus tam obnoxio me anxie non quaerere, quamquam eodem artificio quod Lachmannus ad chronographum emendandum adhibuit uti nobis quoque in promptu est. age dum statuamus licet Hieronymum L. Cornelii L. f. L. n. Cinnae consulatu primo a. 667/87 et quarto a. 670/84 permutato in Catulli annis natali et fatali definiendis triennii errorem commisisse. anno enim 670/84 Catullum natum et trigesimo aetatis anno 700/54 mortuum esse. quae sententia aetate Lesbiae conparata etsi non ita multum commendatur, tamen non prorsus inprobabilis est, id quod infra exemplo certissimo demonstrabimus. sed tamen multo praestat annum natalem quem Hieronymus indicauit uerissimum ducere et errorem in solo anno fatali ita factum putare ut Hieronymus numero corrupto exempli Suetoniani deceptus conputando annum fatalem adsecutus sit. cf. de similibus Hieronymi erroribus Reifferscheidium ad fragm. 16 p. 37 et p. 385. 386 Ritschelium ap. Reiffersch. p. 497. arbitramur igitur G. Valerium Catullum anno 667/87 natum et anno 700/54 uel sequenti mortuum esse.

Digitized by Google

III

Postea quam de Catulli uitae termino utroque disputauimus, iam de poetae uita ipsa atque primum de eius familia et re familiari nobis quaerendum est. quibus de rebus quae ad modum pauca ad nos peruenerunt fere omnia soli Catullo ipsi debemus. patrem quidem Catulli Suetonius in Iulio 73 narrat hospitem G. Caesaris fuisse, qui quamuis a Catullo filio epigrammatis acerbissimis proscissus esset, tamen Catulli patris hospitio uti perseueraret. quo ex loco Suetoniano non inprobabiliter conicere licet patrem Catullo superstitem fuisse. quod iam Carolus Fridericus Hermannus (ad Hieronymum p. 10) contendit quidem recte, malis tamen argumentis usus. is enim arbitratus Catullum post ciuile demum bellum cum Caesare in gratiam rediisse et mox uno duobusue annis post mortuum esse, non dubitauit quin pater, cuius hospitio uti post illam gratiae reconciliationem Caesar p e r s e u e r a r e t, uita filium superauisset. in his quae ad temporum rationes spectant falsa esse omnia in capite II demonstrare studuimus argumentis

Digitized by Google

grauissimis, quibus iam nouum licet addere. quo enim iure, si post bellum ciuile poeta satis fecit, Caesar, qui Rubiconem transgressus urbem Catulli patriam uix umquam reuisit, dici potuit hospitii illius usum continuasse? nihilo minus pater filium uita superasse uidetur. namque ex caussis quas in capite VIIII loco aptiore exponemus, probabile esse ducimus Catullum Caesaris gratiam ineunte anno 700/54 sibi reconciliasse eodem uel paene eodem quo posterius mortuus est, Caesarem autem Galliarum proconsulem per hiemes singulas Galliam Cisalpinam peragrare solitum, quotiens inter annos 700/54 et 705/49 Veronam uenisset, apud Catulli patrem deuersum esse. praeterea de patre poetae nihil scimus. contra de fratre morte matura sibi erepto et in Asia prope Rhoeteum promunturium sepulto Catullus saepius querellas tenerrimas effundit, cf. LXV 5—14 LXVIII[a] 19—26 LXVIII[b] 92—100, in primis carmen CI. Rem familiarem satis lautam Catullus habuit (cf. Munkii hist. litt. Lat. II 178), neque in contrarium inde iudicare licet quod poeta in carmine XIII de sacculo suo aranearum pleno iocatur uel quod neminem habuisse se scribit (X 22)

fractum qui ueteris pedem grabati
in collo sibi collocare posset.

neque ut id probetur ad carmen XXVI prouocari potest, qua de re uideas quae infra in capite VI exposui. num enim probabile est filium eius cuius hospitio G. Iulius Caesar uti consueuit, paupertatis caussa liberaliter uiuere non potuisse? an eum eguisse qui Romae, in urbe maximas inpensas exigente, non tam quaestu ullo quam

Digitized by Google

suis ipsius opibus tam honeste se sustentabat ut cum multis hominibus nobilissimis et diuitissimis consuetudine uel amicitia coniunctus esset? porro Catullus duas uillas possedit, quarum alteram in Sirmione paeninsula sitam e Bithynia reuersus carmine XXXI salutat (cf. uersum 12 *salue, o uenusta Sirmio, atque ero gaude*), alteram suburbanam prope Tibur in Latii et Sabinorum confinio positam in carmine XXXXIIII commemorat. uillam in Sirmione sitam nescio an hereditate acceperit Catullus, Tiburtem contra postea quam Romae habitare coepit ipse sibi conparauisse uidetur. uerbo adnotare sufficit, cum in Sirmionis paeninsulae parte extrema inter occasum solis et septentriones sita parietinae aedium amplarum uetustae hodie dum extent, illa regione opinionem in uulgo uigere eas Catulli uillae Sirmionensis reliquias esse. hanc autem sententiam iam dudum addubitatam, quae per se spectata maxime inprobabilis est, nuper Ioannes Hieronymus Ortius, qui de Sirmione paeninsula librum Veronae a. 1856 edidit, redarguit, qui postea quam aedium illarum fundamenta effodienda curauit, thermarum Constantini inperatoris fere tempore extructarum illas esse ruinas cognouit: cf. A. G. Zumptius in philol. Leutschii XII 754. ceterum nomina et libros eorum qui antea hac de re scripserunt Baehrius histor. litt. Rom. I 403 indicauit.

De uita Catulli ipsa rebus permultis, quas scire nostra plurimi interest, aegre caremus: nescimus quos magistros ille habuerit, qua ratione in litteris se excoluerit, cuius auctoritate Verona relicta Romam uenerit. nam Catullum a Manlio, ad quem carmen LXVIII scripserit,

Digitized by Google

Romam deductum esse Baehrius hist. litt. Rom. I 402 sine caussa docuit. nunc nihil amplius conicere possumus quam Catullum adulescentulum Romam eo maxime consilio migrauisse ut in sede et quasi domicilio litterarum Romanarum studiis poeticis operam nauaret. de quibus studiis quid carminum Catullianorum arte atque indole considerata et ponderata statuendum sit, in altera quaestionum nostrarum parte exponendum erit. neque uero per paucos tantum annos Catullus Romae moratus est, sed ibi totius uitae domicilium constituit. hoc locus carminis LXVIII[a] 34. 35 demonstrat, quo poeta ad amicum quendam Verona Romam haec scribit,

nam quod scriptorum non magna est copia apud me,
hoc fit quod Romae uiuimus : illa domus
illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas.

inde factum est ut plurima carmina Catullus Romae et de hominibus rebusque urbanis scriberet. itaque Catullo euenit Romae ut moreretur. neque uero Catullus patriae umquam oblitus est, sed, ut eius carmina testantur, illuc saepius rediit et regiones patrias, quarum quanto amore inpletus fuerit carmen XXXI patefacit, reuisit. cf. carmina XXXV LXVII LXVIII[a], quae Veronae scripta sunt, carmina IIII et XXXI, quae poeta in Sirmione paeninsula composuit, praeterea carmina XVII XXXXI XXXXIII C CX CXI hoc nomine respicienda sunt.

Ea quae praeterea de uita poetae Veronensis ex eius libro disci possunt cum maximam partem cum amoribus eius sint conexa, de his statim disquisitiones adcuratae instituendae sunt.

Digitized by Google

IIII

De amoribus igitur Catulli disseramus, et primo quidem loco de amore quem erga Lesbiam Catullus habuit. haec enim una fuit mulier, quam Catullus per longius quoddam tempus intimo ex animo et uehementissime amauit : quae caussa fuit ut ex mulieribus a Catullo amatis una Lesbia nomen et famam consequeretur. haec quanta fuerit et ex Propertii uersibus his III 33 87

haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiae maxima flamma suae,
haec quoque lasciui cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quis ipsa notior est Helena.
haec etiam docti confessa est pagina Calui,
cum caneret miserae funera Quintiliae,

et ex aliis poetarum posteriorum locis elucet. cf. Martialis epigrammatum VIII 73 5

Cynthia te uatem fecit, lasciue Properti,
ingenium Galli pulcra Lycoris erat.

Digitized by Google

fama est arguti Nemesis formosa Tibulli :
Lesbia dictauit, docte Catulle, tibi.

XII 44 5

Lesbia cum tenero te posset amare Catullo,
te post Nasonem blanda Corinna sequi,

VII 14 3 XIIII 77 Iuuenalis in satura VI 7. illum igitur Lesbiae amorem ordine et plane enarrari plurimi refert, quia inde iudicium de Catulli moribus de poesis Catullianae indole de carminum permultorum temporibus maximam partem pendet. et initium capiamus a nomine puellae amatae definiendo. Catullus quotiens nomine usus est, totiens puellae suae nomen Lesbiae indidit : neque tamen hoc uerum nomen fuit. Ouidius enim ait tristium II 427

sic sua lasciuo cantata est saepe Catullo
femina, cui falsum 'Lesbia' nomen erat.

uerum nomen quod fuerit Apuleius eodem loco quo supra poetae nostro Gai praenomen uindicauimus, docuit his uerbis : *eadem opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit et Ticidam similiter, quod quae Metella erat Perillam scripserit, et Propertium, qui Cynthiam dicat Hostiam dissimulet, et Tibullum, quod ei sit Plania in animo Delia in uersu.* Clodia igitur uerum puellae a Catullo amatae nomen fuit. sed illa Clodia quis fuit ? utrum etiam nunc demonstrari potest Clodiam Catulli eandem fuisse atque aliquam gentis Clodiae mulierem de qua aliunde quoque notitia qualiscumque ad nos peruenit ? an desperandum est Clodiam Catulli apud alios scriptores a nobis reperiri posse ? uiri docti

Digitized by Google

de hac re uarie iudicauerunt. alii totam hanc quaestionem neglexerunt, ueluti, ut antiquiores taceam, et Bernhardius (hist. litt. Rom. p. 514) et Froelichius, qui quamquam de amoris Catulli et Lesbiae decursu paullo rectius quam prius factum erat iudicauit, tamen de Lesbiae nomine origine persona nihil nisi nomen fictum esse dixit, cf. comment. acad. Monac. III III 691—716 VI II 277. alii Lesbiam Catulli mulierem aliunde nobis notam certam esse negauerunt. sic ut paucis exemplis defungar, Loersio (ad Ouidii tristia p. 204) ei uanam dare operam uidentur qui quae Catulli amica fuerit curiosi quaerunt, similia Munkius in hist. litt. Lat. II 178 profitetur. Hertzbergius autem (quaest. Propert. p. 34) cum Paldamo (de poesi amat. p. 30) in uniuersum sentiens Lesbiam libertinam uel seruam fuisse opinatur magna haec uoce proclamans *quid de Lesbia dicam, quae quamuis Catulli chartis inmortalis facta 'in angiportis glupsit magnanimos Remi nepotes'?* Zellius denique (in libellis per ferias scriptis I 129) nescio unde edoctus Clodiam Verona oriundam Catulli popularem fuisse narrat.

Contra iam Petrus Victorius uariarum lectionum XVI 1 et Muretus ad carmen LVIII et Statius ad carmen idem et in prooemio id quod nos quidem uerum putamus dispexerunt, quamquam Statius in eo fallitur quod ueri testem Sidonium Apollinarem profert. qui etsi Catullum bis (epistul. II 10 p. 900 ed. Sirm. et carm. VIIII 263) et Lesbiam semel (epistul. l. c.) commemorauit, tamen de Lesbiae nomine uero et origine nihil omnino narrauit. uerum enim uero cum illi uiri doctissimi

Digitized by Google

opinionem suam uerbo notare quam adcuratius exponere mallent, editores et interpretes eam uix dignam habuerunt quam commemorarent. primus qui memoriam ueri nostra aetate recoluit Mauricius Hauptius fuit, qui in obseruationibus criticis p. 8 haec scripsit, *Lesbiam Clodiam istam esse quadranturiam, rectiusque quam nuper factum memini de ea re saeculo sexto decimo primarios quosdam uiros iudicasse, liquido confirmare posse mihi uideor . . . uerum ab hac demonstratione nunc quidem abstinendum esse sentio.* huic uiri doctissimi sententiae bono iudicio usi Helbigius (deutsche iahrb. 1842 p. 1218) Teuffelius Kirchnerus (ad Horatii sat. I 10 19) Iungclaussenus accesserunt, solus Leutschius (in philologo X 739) refragatus est. horum disputationibus in usum uocatis iam ipsi demonstrare suscipiamus Clodiam Catulli sororem P. Clodii quadrantariae nomine diffamatam fuisse. ut uero disquisitioni nostrae uiam muniamus, primum non nulla de familia et aetate Clodiae quadrantariae exponenda uidentur.

Appius Claudius Pulcer praetor a. 665/89 consul a. 675/79 ex Caecilia uxore, Q. Metelli Balearici filia, tres filios tresque filias genuit. Appius Gaius Publius filii erant, filiarum natu maxima uxor Q. Marcii Regis consulis a. 686/68 fuit, Clodia maior, quam Catulli amicam fuisse putamus, Q. Metello Celeri minima L. Licinio Lucullo nupserunt. de Clodiae quadrantariae aetate locus Ciceronis pro Caelio 15 36 consulendus est. ibi Cicero ad Clodiam quadrantariam ipsam conuersus haec, *ex istis tuis,* inquit, *sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem, qui est in isto genere urbanissimus, qui te*

Digitized by Google

amat plurimum, qui propter nescio quam credo timiditatem et nocturnos quosdam inanes metus tecum semper pusio cum maiore sorore cubitauit. fuit igitur Clodia natu maior quam P. Clodius. at quando P. Clodius natus est? anni natales et P. Clodii et fratrum sororumque eius cum a scriptoribus Romanorum memoriae non sint proditi, anni quibus Clodii fratres magistratus siue petierunt siue gesserunt, in rationem referendi et inter se conparandi sunt, ut pote e quibus anni natales si non certissime tamen probabiliter et ita ut magnus error euitetur effici possint. et haec fere sunt quae lege Villia annali in auxilium uocata conligi posse uidentur. frater igitur natu maximus Appius, cum praetor a. 697/57 et consul a. 700/54 esset, anno 657/97 et minor Gaius, cum praetor anno 698/56 et in annum 701/53 candidatus consulatus esset, anno 658/96 nati esse uidentur: natu minimum autem fratrem Publium, cum quaesturam anno 693/61 et aedilitatem curulem a. 698/56 gereret et praeturam primum in annum 701/53 deinde in annum 702/52 peteret, aut annum 661/93 aut sequentem natalem habuisse ueri simile est. priorem annum 661/93 ut praeferamus facit et consensus anni aedilicii ac prioris praeturae petitionis, quorum utroque ad annum illum referimur, et locus Ciceronis pro Milone 9 24 *P. Clodius cum statuisset omni scelere in praetura uexare rem publicam, uideretque ita tracta esse comitia anno superiore* (701/53) *ut non multos menses praeturam gerere posset, qui non honoris gradum speraret ut ceteri . . . . . et annum integrum ad dilacerandam rem publicam quaereret, subito reliquit annum suum seseque in proximum annum* (702/52) *transtulit.*

Digitized by Google

qui locus, quamquam non solum de aetatis anno legitimo sed etiam de biennii interuallo inter magistratum alterum gestum et alterum gerendum e legibus seruando intellegi possit, nihilo minus sententiam nostram commendat, cf. Beckeri antiq. Rom. II 2 23. praeterea de Publii Clodii aetate ad locos aliquot respiciendum est in quibus de eius ad plebem traductione sermo est. prae ceteris digna sunt quae excribantur uerba Ciceronis de domo 13 34 *quid est horum in ista adoptione quaesitum? adoptat annos uiginti natus, etiam minor senatorem. liberorumne caussa? at procreare potest. habet uxorem, suscipiet ex ea liberos* . . . 35 *ita perturbatis sacris contaminatis gentibus et quam deseruisti et quam polluisti, iure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum derelicto factus es eius filius contra fas cuius per aetatem pater esse potuisti.* 14 36 *dico apud pontifices: nego istam adoptionem pontificio iure esse factam, quod eae uestrae sint aetates ut is qui te adoptauit uel filii tibi loco per aetatem esse potuerit uel eo quo fuit* . . . 37 *quae maior calumnia est quam uenire inberbem adolescentulum bene ualentem ac maritum dicere filium senatorem populi Romani sibi uelle adoptare* . . . quibus ex locis cauendum est ne P. Clodium maiorem quam statuimus natu fuisse concludamus. secundum conputationem nostram Clodius cum intra priores anni 695/59 menses a P. Fonteio adoptaretur triginta tres quattuorue annos natus Fonteium, quem ex Ciceronis uerbis conligere licet tum duodeuiginti annos habuisse, annis sedecim uel quindecim antecessit. quod aetatis discrimen satis magnum erat quo Cicero quaeuis ad Clodium spectantia incredibilem in modum exaggerare et

Digitized by Google

amplificare solitus abuteretur ut pronuntiaret Fonteium adoptantem per aetatem Clodii adoptati filium esse potuisse. quo minus autem illis locis freti Clodium prius lucem uidisse arbitremur, praeter annos magistratuum Clodii ipsius anni magistratuum fratrum eius optime inter se concordantes obstant. tenemus igitur P. Clodium anno 661/93 natum esse.

Si igitur Appius a. 657/97 Gaius a. 658/96 Publius a. 661/93 nati sunt, inter annos natales Gai et Publii Clodiorum biennii interuallum fuisse adparet. quo interuallo Clodiam quadrantariam uel, ut honestius loquamur, Lesbiam Catulli natam esse equidem crediderim, cum neque quicquam probet eam Appio et Gaio fratribus natu maiorem fuisse, et multis rebus, etiam si a Catullo plane discedimus, ueri simile reddatur Clodiam Publio fratri non multo aetate antecessisse. neque hoc usquam narratur. quis enim est quem illud Tullianum *pusionem* (Publium Clodium) *cum maiore sorore cubitasse* ita offendat ut Clodiam arbitretur multis annis Clodio aetate praestitisse? quando quidem in aperto est a Cicerone illo loco per ironiam Publium puellulum fictum esse, quem pro pueritia timidissimum neque solum iacere audentem misericordia mota Clodia apud se pernoctare passa sit. nonne similiter P. Clodium anno 693/61, quo is trigesimum aetatis annum iam egressus erat, Cicero (ad Attic. I 16 10) '*Pulcellum puerum*' nominauit (cf. ad Att. II 18 3)? itaque nihil inpedit quo minus Clodiam quadrantariam anno 659/95 uel a. 660/94 natam esse credamus. quae praeterea de Clodia memoriae prodita sunt maximam partem in Ciceronis Caeliana

Digitized by Google

et epistulis obuia haec fere sunt. Clodia Q. Caecilii Metelli Celeris praetoris a. 691/63 consulis a. 694/60 uxor fuit, cui quo anno nupserit ignoramus. hoc solum scimus Clodiam anno 678/76 Caecilio Metello non dum nupsisse, anno autem 691/63 iam eius uxorem fuisse. illud ex Varronis de re rustica III 16 2 sequitur, quo loco Varro Appium Clodiae fratrem narrantem fecit se patre mortuo cum duobus fratribus duabusque sororibus (tertia enim tum a Q. Marcio Rege iam in matrimonium ducta erat) pauperem domi suae relictum fuisse. cum enim Appii patris mors in annum fere 678/76 inciderit *), (cf. Drumanni hist. Rom. II 185), post hunc demum annum Clodiam Metellus in matrimonium duxisse potest. contra anno 691/63 Clodia iam Metelli uxor fuit, cf. Cic. ad fam. v 2 6.

Q. Metellus Celer, uir grauissimus et integerrimus, ex matrimonio quod cum Clodia inierat parum uoluptatis percipiebat, cum uxor pietatem marito praestandam et saepissime et perfidissime uiolaret. cuius rei caussa primaria quamquam sine dubio in Clodiae animi leuitate et morum prauitate et incredibili libidine posita erat, tamen nescio an ad illius coniugii molestias alicuius momenti fuerit cognatio qua Clodia cum marito coniuncta fuit (Clodiae enim mater et pater Q. Metelli eosdem habebant parentes), ut pote cum matri-

*) Vt intellegatur quam bene quae de P. Clodii anno natali ad eius petitiones respiciens docui cum tempore mortis Appii Claudii patris conspirent, conferatur de harusp. resp. 20 42.

Digitized by Google

monia inter propinquos inita infeliciora esse soleant. de rixis inter coniuges gliscentibus conferantur quae Cicero a. 694/60, quo Q. Metellus Celer consul erat, ad Atticum II 1 5 de muliercula illa scripsit, *ego illam* (Clodiam) *odi male consularem. ea est enim seditiosa, ea cum uiro bellum gerit, neque solum cum Metello sed etiam cum Fabio, quod eos mihi esse amicos moleste fert.* ita factum est, ut Clodia, cum Metelli grauitas et seueritas prohibuisset quo minus ea quam effrenate uellet libidinem scelestam et in dies crescentem exerceret, onus sibi molestissimum sublatura a. 695/59 maritum ueneno necaret. cf. Cic. pro Cael. 24 59. 60 *quem uirum si nulla uis repentini sceleris sustulisset, quonam modo ille furenti fratri suo consularis restitisset.* itaque etiam Caelius Rufus, de quo plura mox nobis dicenda erunt, in oratione in Clodiam habita eam 'Clytemestram quadrantariam' nominauit, cf. Quintil. VIII 6 53. quadrantariam uero, quae est mulier uili quadrantis mercede unicuique corpus prostituens, Clodiam Caelius nec primus nec solus uocauit, sed nomen illud per ludibrium inditum tum in omnium ore erat, cf. Cic. pro Cael. 26 62. 29 69 cum Drumanno HR II 381 Plut. Cic. 29. praeterea Cicero Clodiam saepius nomine *βοώπιδος* inrisit (cf. ad Attic. II 9 1. 12 2. 14 1. 22 5. 23 3), quo nomine auctoritatem et inperium qualecumque, quod Clodia sibi quasi altera *Ἥρα βοῶπις* uel de rebus publicis adrogabat, Cicero salse cauillatur (cf. pro Cael. 26 62 *mulier illa potens quadrantaria*), quod nomen quia Clodiae oculi magni et ardentes erant, eo maius continet acumen. cf. Cicero de harusp. resp. 18 38 *ne id quidem sentis coniuentes illos oculos abaui tui magis*

Digitized by Google

optandos fuisse quam hos flagrantes sororis? pro Cael. 20 49 *flagrantia oculorum.*

Neque iniustius quadrantariae nomen ignominiosum Clodiae inditum esse omnia clamant. iam supra ex Caeliana 15 36 locum adferebamus quo Tullius Clodiam cum Publio fratre germano incestum fecisse aperte dicit. praeterea idem flagitium in eiusdem orationis 13 32 significatur, *quod quidem facerem uehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris uiro, fratre uolui dicere, semper hic erro.* cf. 32 78 *ne eadem mulier cum suo coniuge et fratre turpissimum latronem eripuisse et honestissimum adolescentem oppressisse uideatur*, de domo 34 92 *non tam insolens sum quod Iouem esse me dico quam ineruditus quod Mineruam sororem Iouis esse existimo. sed tamen ego mihi sororem uirginem ascisco: tu sororem tuam uirginem esse non sisti. sed uide ne tu te debeas Iouem dicere quod tu iure eandem sororem et uxorem adpellare possis.* en rursus Ἥρα βοῶπις. praeterea cf. p. Cael. 16 38 de harusp. resp. 20 42. 27 59 p. Sestio 17 39 ad Att. II 1 5 ad Q. fr. II 3 2 Vellei Paterc. II 45 Plut. Cic. 29. numerum amatorum permagnum quibus praeter fratrem Clodia ad libidinem insatiabilem explendam utebatur, Cicero p. Cael. 13 32 his uerbis acerbe indicat, *neque enim muliebres umquam inimicitias mihi gerendas putaui, praesertim cum ea quam omnes semper 'amicam omnium' potius quam cuiusquam inimicam putauerunt.* illorum ex numero unum tantum, ut de Catullo eisque quos solus hic commemorat taceam, adcuratius nouimus. is est M. Caelius Rufus orator. qui cum Clodiam amare coepisset, quo commodius hanc rem

agere posset, in Clodiae ipsius aedes Palatinas habitatum inmigrauit (cf. Drumanni HR II 377, 22). sed mox amoris huius taedio captus ab illa se remouit. qua re Clodia ira maxime inflammata societatem cum L. Sempronio Atratino filio iniit, qui iniurias a Caelio eodem familiae suae inlatas ulturus (Caelius enim Atratini patrem de ambitu accusauerat et in eo fuit ut iterum accusaret) par pari referendo Caelium ipsum de ui uere a. 698/56 *) in ius uocauit. cui L. Atratino cum tela reo infestissima Clodia amatori perfido perniciem molitura subministrasset, Cicero, qui praeter Caelium ipsum et M. Crassum oratione pro Caelio nobis etiam nunc seruata reum defendit, acerbissime in mulierem libidinosam inuectus est et eius mores corruptissimos facinoraque scelesta omnibus aperuit ac patefecit. qua in re quamquam dubium esse non potest quin Tullius ut et reo gratificaretur et odium quo ardebat Clodiae (cf. Drumanni HR II 376, 10 ad Att. II 1 5) expleret, ea quae quadrantariae crimini tribuit, multis partibus ueritatem egressus auxerit, tamen omnibus rebus diligenter ac iuste ponderatis satis multa uera reliqua fuisse certo

*) Vere anni 698/56 hanc caussam ad iudices delatam esse eo probatur quod Cicero pro Caelio 33 78 dixit paucis diebus ante quam ipse Caelium defenderet, Sex. Clodium instigante Milone accusatum absolutum esse. Sex. Clodius autem mense Martio a Milone in ius uidetur uocatus esse, nec prius quoniam, ut alia taceam, Milo ipse mense Februario a P. Clodio de ui reus factus est, nec posterius quoniam de Sex. Clodio absoluto Cicero initio mensis Aprilis queritur, cf. ad Q. fr. II 4 6.

Digitized by Google

confidimus quae Clodiam et libidinosam et scelestam mulierem fuisse probarent. iam quaeritur quo anno Caelii amor Clodiae exarserit. qua de re adnotandum est Iungclaussenum (l. c. p. 14) etsi falsa non docuit, tamen ad testes fallaces prouocauisse. Iungclaussenus enim ex eis quae Drumannus HR II 412 congessit adparere ait Caelium Rufum anno demum 695/59 ex Africa, ubi Q. Pompei Rufi proconsulis contubernalis fuisset, reuersum mox in aedes Clodiae inmigrauisse. sed anno 695/59 demum Caelium ex Africa rediisse neque ullus ueterum scriptorum locus testatur neque Drumannus ipse adfirmauit. nihilo minus tamen idem Drumannus de rebus non nullis cum hac quaestione coniunctis non omnino recte statuisse uidetur. res ita se habet. Cicero in Caelianae 30 73 narrat Caelium, cum paullum roboris accessisset eius aetati, in Africam Q. Pompei proconsulis contubernalem profectum esse, et Sallustius (Cat. 30) Q. Pompeium Rufum praetorem initio mensis Nouembris a. 691/63 narrat Capuam missum esse ut pro tempore atque periculo belli seruilis quod instaret opprimendi caussa exercitum conpararet. praeter hos duos locus nullus adest quo Q. Pompeius Rufus ille commemoratur. tamen Drumannus (IIII 316) refert Q. Pompeium Rufum praetorem anno 691/63 Capuam missum ibi per menses aliquot anni 692/62 remansisse, deinde a. 663/61 ex praetura proconsulem Africam prouinciam administrasse. at unde Drumannus nouit Q. Pompeium anno 692/62 in agro Campano commoratum fuisse? nullo testimonio haec sententia defenditur. an Drumannus Q. Pompeio inperium in annum 692/62

prorogatum esse eo coniecit quod sub finem demum anni praetorii sui 691/63 Pompeius Capuam profectus est? at Q. Metellus Celer, Clodiae coniux, quem ipsum quoque a. 691/63 praetorem eodem loco quem modo citauimus Sallustius narrat in agrum Picenum missum esse, cuiusque scimus in Catilina apud Pistorium initio anni 692/62 opprimendo partes aliquas fuisse, anno hoc 692/62 pro consule Galliam Cisalpinam administrauit. cur igitur eius conlegam, cuius nullae res in bello Catilinario gestae commemorantur (cf. Hotomannus et Garatonius ad Cic. pro Sest. 4 9), sumamus anno diutius praetorem fuisse et anno post prouinciam nactum esse? itaque contendimus Q. Pompeium Rufum anno 691/63 praetorem et sequenti 692/62 ex praetura, ut Metellus quoque eius conlega, proconsulem in prouincia fuisse. quam diu uero in Africa fuerit, utrum anno suo peracto inde decesserit an prouincia ei prorogata sit ignotum est. anno igitur 692/62 Caelius uiginti annos natus cum Q. Pompeio in prouinciam profectus est. sed nihil probat id quod Iungclaussenus probatum iudicat, Caelium anno 695/59 demum inde rediisse. immo Caelius ante annum hunc in Italiam redierat. qui cum G. Antonium, Ciceronis in consulatu conlegam, initio a. 695/59 de maiestate accusaret, non potuit hoc demum anno ex Africa rediisse. de tempore caussae Antonii cf. Cic. de domo 16 41 ad Atticum II 12 2. quid quod iam sub finem anni 694/60 adparatus accusationis Antonii instruebatur (cf. ad Attic. II 2 3). manifestum ergo est et Drumannum et Iungclaussenum errasse.

5

Digitized by Google

Rectius opinor ad tempus quo Caelius Clodiam amabat definiendum his utemur argumentis. Cicero (pro Caelio 30 73) Caelium ex Africa reducem narrat ut gloriam sibi pararet primum Antonium accusasse. *postea* (h. e. post Antonii accusationem) *nemini*, ut Ciceronis uerbis utar, *umquam concessit aequalium, plus ut in foro plus ut in negotiis uersaretur caussisque amicorum, plus ut ualeret inter ciues gratia. quae nisi uigilantes homines nisi sobrii nisi industrii consequi non possunt, omnia labore et diligentia est consecutus. in hoc flexu quasi aetatis (nihil enim occultabo fretus humanitate ac sapientia uestra) fama adulescentis paullum haesit ad metas notitia noua mulieris et infelici uicinitate et insolentia uoluptatum, quae cum inclusae diutius et prima aetate conpressae et constrictae fuerunt, subito se non numquam profundunt atque eiciunt uniuersae. qua ex uita uel dicam quo ex sermone (nequaquam enim tantum erat quantum homines loquebantur), uerum ex eo quidquid erat, emersit totumque se eiecit atque extulit tantumque abest ab illius familiaritatis infamia, ut eiusdem nunc ab sese inimicitias odiumque propulset. atque ut iste interpositus sermo deliciarum desidiaeque moreretur, nomen amici mei de ambitu detulit : quem absolutum insequitur reuocat.* hoc ex loco clarissime elucet Caelium paullo post quam initio anni 695/59 Antonium accusauit Clodiam amare coepisse et, cum L. Sempronium Atratinum exeunte anno 697/57 *) accusaret, ab illa iam se recepisse.

*) Vulgo Cicero a. 698/56 L. Sempronium Atratinum contra Caelii accusationem defendisse putatur, sed qui considerat iam uere

Digitized by Google

errare igitur uix possumus statuentes anno 696/58 amorem illum maxime arsisse, etsi minime negamus eius initia iam anno 695/59 et eius extrema anno demum 697/57 fuisse. hoc quod repperimus alia quoque argumentandi ratione confirmari licet. namque Clodia, cum se a Caelio desertam uideret, ut non diu cunctata sit ab illo poenas repetere ex rei ipsius natura sequitur. cum igitur mulier iracunda initio a. 698/56 L. Atratinum filium ad Caelium accusandum inpelleret et incitaret, non diu ante hoc tempus ab illo deserta esse potuit: iterum ad annum 697/57 quo foedus interruptum sit, ducimur. denique ad crimina quibus Clodia Caelium circumuenit animum attendas. primum enim Clodia inimicum perditura adfirmauit eum a se ipsa aurum sumpsisse ut Dionem Alexandrinum interficiendum curaret, deinde, cum aurum reddere nollet, ueneno sibi insidias parasse. cum uero Dio anno 697/57 e uita sublatus sit, facile uides hac quoque re nostram commendari sententiam.

Postea quam summam eorum quae de Clodia memoriae tradita sunt breuiter conplexi sumus, reliquum esset ut caussas conquireremus quibus Catulli Lesbiam et Clodiam quadrantariam eandem fuisse mulierem probaremus. at de hac re in difficultatem quandam incurrimus. ita enim res conparata est ut non aliter de ueritate coniecturae illius

---

a. 698/56 Caelium ipsum ab Atratino filio accusatum esse et eodem tempore Caelium L. Atratino patri iterum litem indixisse, nobis adsentietur priorem Caelii in Atratinum actionem exeunti anno 697/57 attribuentibus, exeunti anno diximus, quia Cicero, Atratini defensor, mense Septembri demum a. 697/57 ex exilio rediit.

Digitized by Google

iudicare possimus, nisi antea de amore quem Catullus habebat Lesbiae eiusque uicissitudinibus atque de temporibus carminum multorum adcurate expositum erit. quae si iam ita enarrare uellemus ut coniecturae quam de Lesbia uerissimam esse nobis persuasimus, rationem non haberemus, postea cum eo uenissemus ut eis quae amoribus et carminum temporibus consideratis edocti essemus, ad coniecturam illam probandam uteremur, permulta prius inlustrata aut omnino aut magna ex parte iterum commemoranda nobis essent. quas repetitiones ingratas et molestas ut euitemus, age ponamus probandum iam esse probatum, atque adfirmantes Clodiam quadrantariam a Catullo Lesbiae nomine ficto significatam esse enarremus quaecumque de Catulli amoribus ex eius libro declarari posse nobis uidentur. quo facto ab uno quoque harum rerum perito arbitro et intellegenti discerni facillime poterit utrum nos recte de Lesbia statuerimus an spes sit fore ut alia ratione inita plus hac in re proficiatur.

Digitized by Google

V

Prius quam singula quae de amore Lesbiae adnotanda nobis sunt conligimus, pauca dicere lubet quibus in uniuersum naturam amoris illius et indolem explicare studeamus. qua in re permulta quae conici potius quam probari possunt, quoniam de rebus quas scire plurimi nostra interest saepe notitia aut nulla aut parca ad nos peruenit, arbitrio et iudicio unius cuiusque relinquenda esse minime nego. et quae equidem hac de re iudico haec sunt. arbitror Catulli amore et pietate inde ab eo tempore quo necessitudo quaedam inter ambos intercedere coepit, Clodiam turpiter abusam esse. Clodiae enim mulieris libidinosae pulcritudine insigni ceterisque lenociniis Catulli animum simplicem et apertum artiumque meretriciarum ignarum incredibilem fere in modum captum et adeo inretitum esse ut per tempus aliquod poeta ne suspicaretur quidem se a Clodia falli posse, nedum re uera falli: ut postea, cum suspitio iustissima orta sibi esset, semper ad ignoscendum propensus et quoduis recens periurium, quod Clodia innumerabilibus prioribus addidisset, uerissimum

Digitized by Google

ius iurandum ducere paratissimus esset: denique ut, cum tandem eo peruentum esset ut scortum uile deserendum esse omnia clamarent, non sine maxima animi aegritudine a se inpetrare posset ut amorem inueteratum deponeret.

Haec omnia quamquam mirere, tamen non ita difficile explicabis, dum modo ad Catulli ingenium respexeris. quae enim Seneca de tranquillitate animi 15 16 dicit nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuisse, ea etiam in Catulli ingenium apte quadrant. sane paene dementem uel 'uesanum', quo uocabulo Catullus ipse ut amoris sui uehementiam exprimat (VII 10 et C 7) utitur, poetam Veronensem nominaueris, si animi inpotentiam illam quasi ferocem et a temperantia et moderatione plurimum dissidentem consideras, qua et in amoribus et in odiis pari inpetu ille uti solet, uel si temeritatem atque leuitatem reputas, qua seductus a puellis et amicis perfidis persaepe deceptus est. at tamen ubi est qui illa dementia, si qua est, poetam caruisse uelit? quando quidem ipsa haec animi ferocitas haec ingenii temeritas effecisse aliquatenus uidentur ut poeta magnus et memoria omnium saeculorum dignus fieret Catullus. quis est denique quin talem dementiam ei qui animo candidissimo et integerrimo erat, qui deos pietate summa uenerabatur, cuius amore fraterno nullus cogitari potest uerior, ignoscatur?

Catullus igitur eadem temeritate qua se totum totiens amicis falsis dedidit, qua de re infra adcuratius exponendum est, se abripi passus est, cum omnem amorem in Lesbiam, mulierem eo indignam, transfudit. quod

Digitized by Google

quo tempore facere coeperit Catullus nescimus. hoc unum ex locis non nullis concludere licet Clodiam, cum eius amore Catullus inflammaretur, iam Q. Metelli uxorem fuisse. nam in carmine LXVIII[b], quo initia et origines amoris sui describit, poeta inde a uersu 135, dum queritur Lesbiam sibi fidem religiose non seruare, eius perfidiam eo quodam modo se ipse consolaturus excusat quod iustis nuptiis cum Lesbia iunctus non sit eaque de caussa 'furtiuis rarae noctis munusculis ex uiri ipsius gremio demptis' contentus esse debeat. is 'uir' est, ut adparet, Clodiae maritus Q. Metellus Celer, quem inter annos 678/76 et 691/63 Clodiam in matrimonium duxisse supra indicauimus. praeterea Lesbiae uirum Catullus in carmine LXXXIII *Lesbia mi praesente uiro mala plurima dicit* commemorat.

De initiis amoris ipsis ex carmine LXVIII, quod in duo carmina (alterum ad Manlium, alterum a uersu 41 incipiens, quo hac in quaestione iam utemur, ad Allium quendam scriptum) disiungendum esse nos cum Froehlichio (comment. philol. acad. Monac. v III 262 a. 1849) Rossbachio Heysio*) Hertzbergio (u. carm. Catulli sel. ab hoc et Teuffelio conuers. Stuttg. 1855 p. 16) Bergkio (mus. Rhenan. nou. xv 513) arbitramur, haec conligi pos-

---

*) Heysius eo tamen fallitur quod alterum carmen ad M'. Acilium Glabrionem scriptum esse putat. nec Froehlichius laudari potest quod alterum carmen ad Manium Allium inscribi iubet. Manii enim praenomen coniecturae Lachmanni debetur, quae, si carmina separauerimus, omni probabilitate caret. nos igitur ex librorum *manlius* in uersu 66 cum Rossbachio nomen *Allius* restituimus.

Digitized by Google

sunt. Catullus Allii de amore suo merita grato animo celebraturus,

> *cum tantum*, inquit, *arderem* (amore Lesbiae) *quantum Trinacria rupes*
> *lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,*
> *maesta neque adsiduo tabescere lumina fletu*
> *cessarent tristique imbre madere genae,*

Allius auxilio mihi ueniens domum suam mihi obtulit in quam ego et Lesbia ad fruendum amoris uoluptatibus conueniremus, (cf. LXVIII 51—56. 66—72). poetae enim, cum Metelli, uiri grauissimi, caussa Clodiae domum intro ire non auderet, occasio eius conueniendae deerat. sed ab hoc carmine LXVIII[b] discedere non possumus antea quam de eius uersu 142 pauca disseruimus cauturi ne quis uersu illo male intellecto de ueritate sententiae quam de Lesbia pronuntiauimus dubitet. Broukhusius enim ad Catulli v 1 (u. Huschkii anall. litt. p. 37) *Lesbiam* ait *uolunt esse Clodiam Metelli Celeris, quod quae uetent credere multa sunt. quo enim referes illud*

> *'ingratum tremuli tolle parentis onus'?*

at is iam olim obierat. et de patris Clodiae tempore mortis Broukhusius recte statuit, quam in annum fere 678/76 incidisse supra adnotauimus. unde clare efficitur ut, si in hoc uersu Lesbiae pater a Catullo commemoratus esset, sententia quam defendimus tota abicienda esset. at nihil de eis quae docuimus metuendum. etenim quamuis locus ille explicatu uel emendatu perdifficilis sit, tamen unum certissimum est de patre Lesbiae Catullum nullo modo uerba facere potuisse. nam nequitias

Digitized by Google

Lesbiae iam dudum nuptae uestigare eamque custodire non iam patris, si etiam tum in uiuis fuisset, officium erat, sed mariti, cui illa in domum deducta et tradita erat. quam ob rem Catullus uoluptates, quas sibi Lesbia largiretur, in uersu 146 non tam munuscula 'patre inscio surrepta' quam 'ex uiri gremio dempta' adpellauit. itaque Guarinus Vulpius Doeringius Handius (obs. crit. p. 31) Heysius Hertzbergius alii 'ingratum tremuli patris onus' pro onerosa cura, qualem filiabus seruandis parentes seniores inpendere solent, intellegendum esse optime senserunt. accedit ut Catullus saepius de patribus tremulis loquatur nec tamen certum quendam in animo habeat, cf. xvii 13 lxi 51. praeter Broukhusium unum Scaligerum cognoui qui patrem Lesbiae hoc loco a Catullo inductum esse censet addita explicatione totius loci, ut uerum dicam, pessima. huius sententiam Santenius adprobauit. denique miror Hauptium, qui sententiae quam de Lesbia explanauimus memoriam intermortuam primus nostris temporibus resuscitauit, quod Lachmanni coniecturam *tremulist illa* nec a litterarum nec a contextus nec denique ab artis criticae rationibus satis commendabilem inter Catulli uerba recipere uoluit, qua admissa, ni fallor, sumendum est Lesbiae patrem in uersu 142 nominari. sententia igitur nostra uersu hoc minime labefactatur.

Iam ut ad propositum redeamus, carmine lxviii^b docemur quanto opere Catullus Clodiae amore arserit : neque tamen hoc uno. nam eundem amoris ardorem non nulla carmina alia spirant, quae sine dubio primis amoris illius temporibus, quibus poeta multo omnium

mortalium fortunatissimus sibi uidebatur, conposita sunt. huc referenda sunt illa praeclara carmina v *Viuamus, mea Lesbia, atque amemus* et vii *Quaeris quot mihi basiationes tuae, Lesbia, sint satis superque* et de passere duo iii *Lugete, o Veneres Cupidinesque* et ii *Passer deliciae meae puellae.* quod loco ultimo posui, carmen secundum non modo prius quam tertium sed etiam prius quam quintum et septimum poeta scripsit, quia uersus hi (ii 9. 10)

tecum ludere sicut ipsa possem
et tristis animi leuare curas

dolorem eum significare uidentur quo Catullus occasionem Lesbiae conueniendae non dum Allio adiuuante nactus adficiebatur : cf. LXVIII^{b} 51. ita enim carmen ii explicandum : Catullus et Lesbia pariter amore et desiderio sui in uicem uidendi et conueniendi cruciati (cf. 7 Lesbiae *grauis ardor* 10 Catulli *tristes curae*) ambo solacium requirunt, quod Lesbiae quidem passeris ioci interdum praebent, quo Catullus tamen aegre caret. quamquam Lesbiae nomen in carminibus ii et iii reticetur, tamen certum est puellam illam Lesbiam fuisse. quod de his quidem carminibus Martialis testimonio probatur vii 14 3

non quales teneri plorauit amica Catulli
Lesbia, nequitiis passeris orba sui,

et xiiii 77 *Cauea eborea :*

Si tibi talis erit qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Digitized by Google

neque tamen de aliis carminibus, de quibus huius modi testimonia non habemus, minus certum est, cf. carmina VIII XI XIII XXXVI XXXVII XXXXII LXVIII[a] LXVIII[b] LXX (cf. LXXII) LXXVIII 7 LXXVI LXXXXI CIIII CVIIII.

Cum óratio ad nomen Lesbiae deuenerit, hoc loco pauca addere placet. quaerimus enim cur in Lesbiae potissimum nomen falsum Catullus Clodiae nomen celaturus inciderit. uerum olim Isaacus Vossius dispexit, qui obseruationum p. 189 haec scripsit, *Catullus quantus Sapphus fuerit amator uel exinde conligere licet quod Lesbiae quouis alio potius nomine suam ornauerit amicam.* profecto Lesbiae nomen Catullianum Sapphus statim adpellationes in memoriam reuocat, quales sunt apud Ouidium *uates Lesbia* (tristium III 7 20) *Aeoliae Lesbis amica lyrae* (amorum II 18 26). cf. de Alcaeo *Lesbium plectrum* et *Lesbius ciuis* apud Horatium (carminum I 26 11. 32 5). haec sententia eo bene confirmatur quod Sapphus carmina poetam Veronensem plurimi aestimauisse caussae multae probant. ueluti carmen quoddam amatorium poetriae Lesbiae carmine LI Catullus in Latinum conuertit et carmine LXII carmen illius nuptiale imitatus est. (cf., ut alios omittam, Leutschium in nuntiis eruditis Gottingensibus anni 1855 p. 1992), denique Caecilii Nouocomensis puellam litterarum studiosam ut insigniter laudaret 'Sapphica musa doctiorem' (XXXV 16) adpellauit. sed num qua ratione Catullus nomine poetriae clarissimae honorare potuisset amicam suam, si ea litterarum et artis uersuum pangendorum plane rudis fuisset? audio. atqui Clodiam non modo litteris operam dedisse sed etiam in primis uersibus faciendis uacasse optimo iure

Digitized by Google

conicere possumus, quippe cum illis temporibus cum honestae feminae nobili genere ortae studiis litterarum operam darent tum leues mulieres eleganti quadam doctrina inlecebrae loco uterentur qua apud uiros se commendarent (cf. Drumanni hist. Rom. II 50 Mommseni hist. Rom. III 563). conferendus utique est locus de Sempronia notissimus ille apud Sallustium (Catilinae 25), qui totus de Clodia quoque scriptus esse uideri possit. Sallustius igitur ait, *haec mulier genere atque forma uiro . . . satis fortunata : litteris Graecis atque Latinis docta : psallere saltare elegantius quam necesse est probae* *), *multa alia quae instrumenta luxuriae sunt. sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit : pecuniae an famae minus parceret haud facile decerneres : lubidine sic adcensa ut saepius peteret uiros quam peteretur. sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiurauerat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. uerum ingenium eius haud absurdum : posse uersus facere, iocum mouere, sermone uti uel modesto uel molli uel procaci : prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.* en habes uiuidam Clodiae imaginem. praeterea haec digna sunt quae reputentur. cum Catullus in carmine XXXVI Lesbiam narret promisisse, si is

---

*) Plane idem Schol. Bob. ad or. p. Sest. 54 116 p. 304 de Clodia quadrantaria narrat : *Clodiam ueteres litterae tradunt studiosam fuisse saltandi profusius et inmoderatius quam matronam deceret.* etiam Caelium, Clodiae per tempus aliquod amatorem et Catulli aemulum, arte saltandi maxime excelluisse Macrob. Sat. II 10 narrat.

Digitized by Google

secum in gratiam rediisset, Vulcano 'electissima pessimi poetae scripta' se uoturam esse, manifestum est Clodiam litteris operam dedisse (cf. Teuffelius l. c. p. 7). quid quod Cicero pro Cael. 27 64 postea quam mendacia a Clodia in criminibus Caelii conponendis commissa diserte explicauit, ita pergens *uelut haec tota fabella ueteris et plurimarum fabularum poetriae quam est sine argumento, quam nullum inuenire exitum potest,* haud scio an Clodiae studia litterarum t e c t e significare uoluerit. denique ne quid omittamus, locum Sidonii Apollinaris adferre lubet, quo una cum Catullo uersus pepigisse Lesbia narratur, cf. epist. II 10 p. 900 Sirm. *certe si praeter rem oratoriam contubernio feminarum poeticum ingenium et oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam quereris obtundi, reminiscere quod saepe uersum Corinna cum suo Nasone conpleuit, Lesbia cum Catullo Caesennia cum Gaetulico Argentaria cum Lucano Cynthia cum Propertio Delia cum Tibullo.* nomen igitur Lesbiae cum nominibus eis bene conparari potest, quae alii poetae Romanorum siue ad poetarum patronos diuinos siue ad poetrias insignes respicientes puellis suis, quae cum musis commercium aliquod haberent, indere uoluerunt. de quo more post Paldamum (p. 53) Otto Jahnius in actorum societatis litterarum Saxonicae I 420 disputauit. sicuti igitur Varro Atacinus Gallus Tibullus Propertius ex Apollinis musarum praesidis cognominibus uariis nomina puellarum suarum Leucadiae Lycoridis Deliae Cynthiae deflexerunt, uel quod magis etiam cum inuento Catulliano congruit, sicut Ouidius a poetria Tanagraea nomen mutuatus

Digitized by Google

mule, nihil sentis. si nostri oblita taceret,
sana esset : nunc quod gannit et obloquitur,
non solum meminit, sed quae multo acrior est res,
irata est, hoc est uritur et coquitur.

ceterum caue ne credas Lesbiam Q. Metello praesente in Catullum simulata probra iactasse ne maritus uxorem cum poeta rem habere suspicaretur, uel ut suspitionem, quam fortasse iam habebat, deponeret. contra certissimum est Lesbiam, cum Catullus hoc carmen scriberet, ex uera animi sententia poetae iratam fuisse et male dixisse, sine dubio propter inimicitiam quandam inter amantes ortam neque tamen, ut uidetur, grauiorem. hoc uel ex ultimi uersus uerbis *irata est* dilucide intellegitur. cur enim Lesbia, si inimicitiam finxisset tantum, irata esset? num ea de caussa quia Catulli amore incensa matrimonii uinculo cum Metello coniuncta esset? tum profecto Clodia rationem nouam et inauditam iniisset, si ira in maritum odiosum inflammata coram eodem odioso marito Catullo, cuius amore deperiret, conuitiata esset. cum carmine LXXXIII artissime, ut modo iam significaui, carmen LXXXXII coniungendum est, ut pote quod idem paene argumentum eisdem fere uerbis tractet. cuius haec sunt uerba,

Lesbia mi dicit semper male nec tacet umquam
de me : Lesbia me dispeream nisi amat.
quo signo? quia sunt totidem mea : deprecor illam
adsidue, uerum dispeream nisi amo.

cf. Lessingii epigramma 132, quod 'prooemium reconciliationis' inscribitur.

Digitized by Google

Sed quamuis Clodia peccet, Catulli amor uehementior est quam ut perfidam celeriter deserere possit. immo mulierem inmerito amatam in carmine CIIII *Credis me potuisse meae maledicere uitae* contra quendam defendit, qui uerbo aliquo Lesbiam uituperante, quod dolor poetae excusserat, abusus Lesbiae Catullum maledicere narrabat. at hac defensione indignissima fuit mulier periura. quae cum poetam fraudare pergeret inpudentissime, Catullus tandem aliquando beniuolentiam quidem, quae in reuerentia et aestimatione quadam nititur, in Lesbiam conferre desiit, sed meretricis inlecebris mirum quantum captus et ad uoluptates paullo propensior, cum caeca cupiditas in animo nimis dominaretur, a se non dum inpetrare potuit ut de amore illo, qui a corpore proficiscens ad corpus redibat, fortiter desisteret. quod ita ut docui re uera se habere ex carminibus adparet duobus. nam in carmine LXXII *Dicebas quondam solum te nosse Catullum* poeta eorum memor quae Lesbia mentita erat unum Catullum se amare nec prae eo Ioui nubere uelle, memor amoris incredibilis quem in Clodiam profuderat,

> *nunc,* inquit, *te cognoui : quare etsi inpensius uror,*
> *multo mi tamen es uilior et leuior.*
> *'qui potis est?' inquis. quod amantem iniuria talis*
> *cogit amare magis, sed bene uelle minus.*

quod carmen uel propter uoculas *quondam* et *tum* (u. 1 et 3), quibus illud Clodiae de Catullo Ioui anteponendo dictum (cf. LXX 1. 2) ad prius quoddam tempus remouetur, aliquanto post carmen LXX scriptum sit necesse est.

Digitized by Google

similes questus Catullus in carmine LXXXVII, quod ex eadem caussa et eodem quo illud tempore scriptum est, edidit.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
uere, quantum a me Lesbia amata mea's.
nulla fides nullo fuit umquam foedere tanta
quanta in amore tuo ex parte reperta meast.

quocum carmine Scaliger, quem praeter multos saeculorum priorum uiros doctos Lachmannus Hauptius Helbigius Heysius Teuffelius Bergkius (mus. Rhenan. nou. XV 511) alii secuti sunt, iure optimo carmen LXXV coniunxit,

nunc est mens diducta tua, mea Lesbia, culpa
atque ita se officio perdidit ipsa suo,
ut iam nec bene uelle queat tibi, si optima fias,
nec desistere amare, omnia si facias.

Sed non solum in Clodiam sed etiam in aemulos, quibuscum ea adulterabat, Catullus uehementer inuectus est. de quibus uni Rauido nescio cui Clodiam sectari auso poeta in carmine XXXX *Quaenam te mala mens, miselle Rauide* poenam grauissimam minatur. praeterea, si in tenebris tam spissis coniecturis fidere licet, conplura carmina fortasse huc referenda sunt in quibus Catullus de perfidia amicorum quorundam queritur. ueluti carmen LX *Num te leaena montibus Libystinis*, in quo de quodam qui 'in nouissimo casu', ut ait poeta, preces suas non audiuerit, grauiter queritur: quem casum etsi nescimus qualis fuerit, tamen cum poetae amore eiusque uicissitudinibus cohaesisse non ita inprobabile est. idem de 'malis' coniciam, in quibus ab Alfeno,

Digitized by Google

amico perfido et fallaci, desertum se miserum esse cum maximo animi dolore dicit : cf. carmen xxx *Alfene inmemor atque unanimis false sodalibus.* quis Alfenus ille fuerit nescitur, quamquam scire multi uiri docti sibi uidebantur. insigniter Iustus Lipsius nugatus est uariarum lectionum III 5 p. 66, cum carmen xxx de Ciceronis exilio intellegendum et a Catullo sub Ciceronis persona in Pompeium ficto Alfeni nomine adpellatum sibi persuaderet scriptum esse. aliam uiam ingressi Parthenius Muretus Scaliger Vossius Vulpius Doeringius Hertzbergius Munkius Alfenum Varum iuris consultum putant a Catullo designatum esse. qui plerique etiam carmina duo, quae ad Varum quendam Catullus scripsit x *Varus me meus ad suos amores* et XXII *Suffenus iste, Vare, quem probe nosti* ad eundem Alfenum Varum referunt (cf. etiam Turnebi aduers. XXVII 26). neque haec sententia non speciosa uidetur, cum Alfenus iuris consultus Catulli popularis fuerit : praeterea is carmina aliqua conposuisse ferebatur, sicuti Seruius loco quodam, cuius tamen fides suspectissima est (ad Vergilii ecl. 9 35), adnotauit. at uel temporum ratio obstat. scholiastae enim ad Horatii sat. I 3 130 Alfenum Varum Cremonensem narrant abiecta tonstrina, quam in municipio suo exercuisset, Romam uenisse ibique magistro Ser. Sulpicio Rufo iuris consulto usum ad tantam peruenisse scientiam ut consulatum gereret et publico funere efferretur. praeter scholiastas Horatii Pomponius quoque de origine iuris § 44 hisce uerbis testatur Alfenum consulem fuisse, *ex his auditoribus* (Ser. Sulpicii) *plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus et Aulus Ofilius,*

6 *

Digitized by Google

ex quibus Varus et consul fuit, Ofilius in equestri ordine perseuerauit. sed quo anno Alfenus consul fuit? unus Alfenus uel Alfenius quem consulem fuisse scimus, P. uel L. (uide fastor. fragm. Gabin. in Orellii inscr. 644 et pone Baiteri fast. p. CCXXXXVIII) Alfenius P. f. Varus anno 755/2 cum P. Vinucio M. f. P. n. magistratum summum tenuit. hunc eundem atque iuris consultum fuisse plurimi uirorum doctissimorum credunt. quam sententiam caue ne respuas, quia Alfenus discipulus Seruii Sulpicii Rufi a. 711/43 mortui fuerit. nam cur non arbitremur Alfenum studio litterarum acri inflammatum anno aetatis fere uigesimo tonstrina et patria relicta Romae intra annos 709/45 et 711/43 Sulpicii disciplina usum fuisse, et postea quam homo municipio oriundus ac nouus ingenio et industria et doctrina paullatim et sensim gloriam insignem adeptus esset, iam senem ab Augusto consulatu, cuius dignitas pristina iam dudum interierat, esse honoratum? qua sententia probata locus Horatii (sat. I 3 130) quo iuris consultum clarissimum a Flacco derisum non nulli uiri docti aegre tulerunt, optime explicatur. nam cum anno 716/38, quo satira tertia primi libri scripta est, Alfenus aetatis annum fere uigesimum septimum ageret, Horatius Alfeni, qui tum sine dubio satis bona documenta doctrinae et acuminis ediderat, exemplo uti potuit neque obseruantiam laesit uiro sibi annis aequali inriso. cf. de Alfeno praeter H. Brencmannum Chr. Waechtlerum Eu. Ottonem V. Lancettium I. A. Eykium Weicherti lect. Venus. p. 44—51 Kirchnerum ad Hor. l. c. Rudorffii hist. iur. Rom. I 164. quae cum ita sint, adparet Alfenum Varum iuris consultum Catulli

Digitized by Google

amicum fuisse non posse. profitemur igitur nos quis Alfenus carminis xxx fuerit nescire, de Varo autem carminis x et xxii infra coniecturam proponemus.

Propter argumenti congruentiam non nulli uiri docti, inter quos Muretum et Vossium nomino, ad Alfenum etiam carmen LXXIII *Desine de quoquam quicquam bene uelle mereri* referunt. quod equidem non probo. nam de Alfeno queritur Catullus quod ille se malis oppressum deseruerit. sed is, cuius perfidiam carmine LXXIII poeta castigat, poetam non tam 'in malis deserendo' quam 'grauiter et acerbe urgendo' laesit. quare carm. LXXIII potius in Rufum scriptum esse puto, cuius nomen ipsum in uersu 4 grauiter corrupto propter ductus litterarum insequentium *taedet* simillimos nescio an exciderit. poetam enim ita scripsisse paene crediderim, *immo etiam, Caeli* (uel *Caelei*), *taedet obestque magis.* duo praeterea Catullus in Rufum carmina scripsit LXXVII *Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amico* et LXVIIII *Noli admirari quare tibi femina nulla.* in carmine priore LXXVII, quod duobus distichis, quae in libris post sextum carminis sequentis uersum posita sunt, continuandum esse post Achillis Statii de loco illorum uersuum dubitationem (cf. Vossii obseru. p. 306) Scaliger Lachmanno Hauptio Froehlichio Rossbachio Teuffelio adprobantibus uidit, questus acerbissimos in Rufum effundit Catullus hos,

Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amico,
(frustra? immo magno cum pretio atque malo),

*) Theodori Bergkii sententiam, quam in Mus. Rhenan. nou. xv 510 exposuit, ingeniosiorem et speciosiorem esse quam ueriorem ad carmen LXXVII demonstrare in animo habemus.

Digitized by Google

sicine subrepsti mi atque intestina perurens
hei misero eripuisti omnia nostra bona?
eripuisti, heu heu nostrae crudele uenenum
uitae, heu heu nostrae pestis amicitiae.
sed nunc id doleo quod purae pura puellae LXXVIII 7
sauia conminxit spurca saliua tua.
uerum id non inpune feres: nam te omnia saecla
noscent et qui sis fama loquetur anus.

uitio igitur Rufo tribuitur, quod amicitia Catulli simulata intima Lesbiam a poeta clam et dolose abalienauerit. quis Rufus ille fuerit non in occulto est. est enim M. Caelius Rufus, quem iam supra ex Ciceronis Caeliana docuimus Clodiae amatorem fuisse: id quod Muretus Statius Niebuhrius (mus. Rhen. II 598) Teuffelius Iungclaussenus perspexerunt. nec cum Caelii et Catulli aetas quinque tantum annis inter se discrepet (Caelius eodem anno 672/82 eodemque die quo Licinius Caluus, orator et poeta ipse quoque Catullo amicissimus, natus est) quicquam prohibet quo minus aliquamdiu amicitia eos coniunctos fuisse credamus, praesertim cum Caelius ut libidinum uehementia ita ingenio quoque et urbanitate (cf. Quintil. X 1 115) et animi quodam feruore et inpetu, qualis fere et Calui et Catulli erat, excelleret: qua de caussa a Velleio Paterculo II 68 *ingeniose nequam* adpellatur. cf. de Caelio Drumanni HR II 411. nec hoc nostrae explicationi obest quod Catullus in uersu octauo nefandam fellandi libidinem Caelio exprobrat: ita enim Scaliger uersum recte intellexit (cf. carm. LXXXXVIIII 10 LXXX Martial.

Digitized by Google

xi 30). nam eum, cuius 'uitam libidinibus inquinatam' (Val. Maxim. iiii 2 7 Quintil. i 6 29) Cicero in oratione quam pro illo habuit aegre et ne aegre quidem celare potuit, cuius 'res gestae' h. e. stupra et adulteria in prouinciis perferebantur (cf. Cic. ad fam. ii 15 5 viii 7 2 Drumanni HR ii 422), qui ab Appio Claudio, fratre Clodiae natu maximo, anno 704/50 e lege Scantinia de stupro cum masculis accusatus est (cf. Cael. ad Cic. fam. viii 12 3. 14 4), uix mirabimur si ad Venerem usque monstruosissimam processisse audimus. ad eundem Rufum, ut iam diximus, cum Mureto et Statio referendum ducimus carmen lxviiii *Noli admirari quare tibi femina nulla*, quo Rufus hirco laborans acerbe deridetur. Vulpius hanc sententiam, quia M. Caelius Rufus homo formosus fuerit, inprobauit Doeringio astipulante. quod iniuria fecit. nam nonne Caelius quamquam formosissimus tamen hircosissimus esse potuit? quid rei est candori et proceritati et uultui oculisque pulcris, quibus Caelium insignem fuisse Cicero (pro Caelio 15 36) ait, cum alarum hirco? nec id premendum quod Catullus dicit propter hircum cum Caelio nullam feminam concumbere uelle, neque quando quidem Caelium cum permultis rem habuisse scimus, ideo sententia nostra recusanda est. tenendum enim Catullum in aemulis suis inridendis et cauillandis animi feruore illo adeo abripi solitum esse ut trans fines ueritatis et probabilitatis fere semper mirum quantum euagaretur. itaque hominibus olim sibi amicissimis, si postea sibi inimici facti sunt, turpissima quaeque, quae cum caussis inimicitiarum minime cohaerent, obiectare non ueretur obli-

Digitized by Google

tus in se ipsum ex huius modi calumniis eorum quos paullo ante in amicorum numero habuerat maculam haud mediocrem relabi. eodem igitur fere animi inpetu et ardore inflammatus hoc carmine adfirmat Caelio Rufo, homini stupris permultis infami, hirci caussa quo laboret mulierem nullam 'femur tenerum supponere uelle'. praeterea uix dubito quin carmen LVIIII *Bononiensis Rufa Rufulum fellat*, quo Rufulo cuidam exprobratur quod cum Rufa, muliere Bononiae infimo loco nata et sordida et inhonesta, libidinem exerceat, in eundem illum M. Caelium Rufum scripserit Catullus. primum quidem non ad Bononienses sed ad alius urbis, ut ueri simillimum est Romanas res carmen illud spectare inde conligimus quod nomen Bononiensis Rufae tum demum sensum aptum accipit, si carmen non Bononiae scriptum est. deinde totius carminis acumen Catullus tantum abest ut in Rufam illam, quae nequior erat quam ut eius caussa Catullus carmen scriberet, direxerit, ut in Rufum intenderit, quem propter commercium illius mulierculae miserae inpudicum amare perstringere uoluit. praeterea manifestum est in nominibus Rufae et Rufi, unde Rufuli nomen per contemptum poeta deminuit, acuminis aliquid reconditum esse : quod quale sit etsi hodie plane enodari nequit, tamen certum mihi esse uidetur Doeringium, cum Rufulum coniceret a libidinis suae ministra accepisse nomen, errasse. e contrario Rufae nomen fictum et a poeta uero Rufi nomini adsimilatum esse, eo lubentius ut credam adducor, quo diligentius nominibus patriae urbis et mariti mulieris additis poeta prouidit ut etiam sub falso nomine

Digitized by Google

uera persona cognosceretur. denique ad eundem Caelium carmen LVIII *Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa* Parthenius Palladius Victorius Muretus Statius Doeringius Teuffelius Iungclaussenus rettulerunt, de quo nos infra loco magis idoneo adcuratius disputabimus. haec habuimus quae de Caelio Rufo primum amico tum aemulo denique inimico Catulli diceremus.

Iam conuertamur ad carmen LXXVIIII *Lesbius est pulcer : quid ni? quem Lesbia malit,* in quo incestum quem P. Clodius cum sorore facere solebat a Catullo significatum esse nemini opinor dubium esse potest. en habeto carmen totum,

Lesbius est pulcer : quid ni? quem Lesbia malit
quam te cum tota gente, Catulle, tua.
sed tamen hic pulcer uendat cum gente Catullum,
si tria natorum sauia reppererit.

cum, ut uidimus, Lesbiae nomine Clodia a poeta adpellata sit, manifestum est Lesbii nomine in hoc carmine Clodium quendam significari. sed quis Clodiorum? pro P. Clodio Muretus stat. *id magis* inquit *ut suspicer facit additum pulcri nomen : hoc enim cognomine fuisse Clodium omnes sciunt : ut poeta in ambiguitate uocis iocari uoluisse uideatur. ita enim et Cicero* (ad Att. I 16 10 cf. II 1 4. 22 1) *iocans eum 'pulcellum puerum' uocat. re uera autem pulcrum fuisse tradit Plutarchus.* aliam uiam Iustus Lipsius uariarum lectionum I 5 ingressus est. 'cum enim P. Clodio neque Cicero quamuis illius flagitiis et sceleribus enarrandis unice deditus neque alius scriptor ueterum eam quam hoc carmine Ca-

Digitized by Google

tullus indicet turpitudinem umquam obiecerit, de illius uituperatione cogitari non posse. aperte contra epigramma in Sex. Clodium, administrum et adseclam P. Clodii, scriptum esse, qui eo genere turpitudinis quod Graeci γλωσσοποιεῖν dixerint, cum Lesbia, hoc est Clodia sorore P. Clodii, uti consueuerit. Sex. autem Clodium quadrantariae (sit honor auribus) cunnilingum fuisse testantur hi Ciceronis loci, de domo 10 25 *tu heluoni spurcissimo, praegustatori libidinum tuarum, homini egentissimo et facinorosissimo, Sex. Clodio, socio tui sanguinis, qui sua lingua etiam sororem tuam a te abalienauit.* 18 47 *hanc tibi legem Clodius scripsit spurciorem lingua sua? . . Sexte noster, bona uenia, quoniam iam dialecticus es et hoc quoque liguris* . . . 31 83 *quaere hoc e Sex. Clodio, scriptore legum tuarum: iube adesse: latitat omnino, sed si requiri iusseris, inuenient hominem apud sororem tuam occultantem se capite demisso.* praeterea de harusp. resp. 6 11 *quam primum inimicus ipse in illa tempestate ac nocte rei publicae, cum cetera scelera stilo illo inpuro Sex. Clodii ore tincto conscripsisset, ne una quidem attigit littera religionis.* pro Caelio 32 78 *Sex. Clodium, hominem sine re sine fide sine spe sine sede sine fortunis, ore lingua manu uita omni inquinatum . . . ne patiamini absolutum muliebri gratia, M. Caelium libidini muliebri condonatum.* de domo 10 26. 18 48. 19 50. quisque concedet Lipsii sententiam, quam maxime probabilem esse Weichertus de rell. poet. p. 417, 22 dixit, scite esse excogitatam. nihilo minus eam recusandam esse puto. primum ei argumento quo primo loco praeter Lipsium Scaliger quoque usus est, de P. Clodio

Digitized by Google

carmen LXXVIIII intellegi non posse, cum Cicero eum liguritorem non carpserit, omnino nihil tribuendum est. nam quamquam locus nullus est quo Cicero fellandi turpitudinem nominatim, ut ita dicam, Clodio exprobrauit, tamen tecte hoc quoque flagitium Tullius inimico suo obiecit. cf. primum omnium de haruspicum resp. 27 59 *quid uero? ea quanta sunt quae (P. Clodius) in ipsum se scelera quae in suos edidit? quis minus umquam pepercit hostium castris quam ille omnibus corporis sui partibus? quae nauis umquam in flumine publico tam uulgata omnibus quam istius aetas fuit?* deinde uide 20 42 *hic uero, de quo ego ipse tam multa nunc dico, quid est? . . . qui post patris mortem primam illam aetatulam suam ad scurrarum locupletium libidines detulit: quorum intemperantia expleta in domesticis est germanitatis stupris uolutatus. deinde iam robustus prouinciae se ac rei militari dedit atque ibi piratarum contumelias perpessus etiam Cilicum libidines barbarorumque satiauit.* pro Sestio 7 16 *qui tribunus plebis felix in euertenda re publica fuit nullis suis neruis (qui enim in eius modi uita nerui potuerunt esse hominis fraternis flagitiis sororiis stupris omni inaudita libidine infamis?)*.. quem ad locum scholiasta Bobiensis p. 295 *et Appius Claudius maior natu infamis in eundem Clodium fuerat et soror Clodia, ut saepe iam diximus.* praeterea pro Sest. 17 39 *scurrarum locupletium scortum.* de domo 54 139 *qui contra fas et inter uiros saepe mulier et inter mulieres uir fuisset.* ex his locis quos attuli Clodium perspicitur muliebria passum esse. quod utra corporis parte fecerit, utrum inrumatoribus an pedicatoribus se prostituerit, Cicero non aperuit:

Digitized by Google

tamen equidem ab ullo libidinis genere Clodium abstinuisse et ex Ciceronis reticentia de fellandi nequitia quicquam decerni posse nego. praeterea ut Lipsii sententia redarguatur accedit quod Muretus bene intellexit, Catullum, cum Lesbium pulcrum diceret, ambiguitate quadam usum ad Pulcri cognomen Clodii respexisse. quod si uerum est, et profecto omnia uerum esse flagitant, Sex. Clodium hoc carmine nominatum esse uetamur arbitrari. etenim ut omittam Ciceronem, quotienscumque illius mentionem fecit, ei numquam Pulcri nomen indidisse, Sex. Clodius, qui nulla propinquitate genti Clodiae coniunctus ab homine olim a Clodio quodam manu misso originem duxisse uidetur (cf. Drumanni HR II 386), uix et ne uix quidem Pulcri cognomen habuisse potest. quid quod, etiam si Mureti de ambiguo sensu uocabuli *pulcer* sententia ueri simillima recusatur, tamen de Sex. Clodio cogitari nequit, quippe quem sciamus non tam pulcrum quam deformem fuisse. cf. Cicero in Pisonem 4 8 *Tu . . . (Piso) Sex. Clodium, qui numquam antea praetextatus fuisset, ludos facere et praetextatum uolitare passus es, hominem inpurum ac non modo facie sed etiam oculo tuo dignissimum.* Pisonem uero deformissimum fuisse ex Ciceronis locis plurimis constat. cf. in Pisonem 1 1 *nemo queritur Syrum nescio quem de grege nouiciorum factum esse consulem. non enim nos color iste seruilis non pilosae genae non dentes putridi deceperunt.* de oculis Pisonis uide de reditu in sen. 7 16 pro Sestio 8 19 in Pisonem 5 11. 6 14. cf. etiam Manutius ad locum Sestianae et Drumannus II 77. remouenda igitur Lipsii opinio. nec magis Iungclausseno de hoc

Digitized by Google

carmine in libello quem iam saepius attuli p. 14 satis mire iudicanti adsentiri possum. cum enim in Cuiaciano codice non sincero pro *Lesbius est pulcer* Scaligero auctore *Caelius est pulcer* extaret, Iungclaussenus hac lectione sine dubio interpolata *) cupidius adrepta et lectioni uulgatae, quam cum consensus codicum tum elegantia et argutia quaedam reconditior ab omni suspitione tuetur, anteposita, carmen, uti ante eum Silligius fecit, in Caelium Rufum scriptum esse opinatus est. nec uereor ne quisquam lectionem *Lesbius* propter unam a Iungclausseno adlatam caussam reiciat : ait enim, cum epigramma non satis acerbum sit, cogitari non posse Catullum eo incestum a Clodio factum exagitare uoluisse.

Restat ut sententiam nostram de carminis acumine adcuratius enarremus. iam Muretus ambiguitatem in uocabulo *pulcri* reconditam adgnoscens de ratione ipsa qua Catullus ambiguitatem usurpare uoluit, bene statuisse uidetur. censet enim P. Clodium re uera facie uenusta quidem sed tamen propter os inpurum a nemine osculis inpertitum fuisse. P. autem Clodium pulcrum fuisse Muretus ait Plutarchum testari. qua in re Paulum

---

*) Lectio *Gellius est pulcer,* quam a non nullis in libris quibusdam repertam esse Statius ait quamque Scaliger defendit, ipsa quoque ab interpolatore confecta est : qui, id quod clarissimum est, ad carminis LXXXVIIII uersum primum *Gellius est tenuis. quid ni? cui tam bona mater* respiciens carminis LXXVIIII uersum primum ita refinxit *Gellius est pulcer. quid ni? quem Lesbia malit.* lectio *Caelius* uide ne ex uersu primo carm. LVIII *Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa* petita sit.

Digitized by Google

Manutium, ni fallor, secutus est, qui ad Ciceronis ad Atticum I 16 10 ex duobus Plutarchi locis conclusit Clodium facie puellae similem fuisse. Plutarchus enim in uita Ciceronis 28 p. 800 Rsk. haec scripsit, *ἦν Κλώδιος ἀνὴρ εὐγενὴς, τῇ μὲν ἡλικίᾳ νέος, τῷ δὲ φρονήματι θρασὺς καὶ αὐθάδης. οὗτος ἐρῶν Πομπηΐας, τῆς Καίσαρος γυναικὸς, εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ παρειςῆλθε κρύφα λαβὼν ἐσθῆτα καὶ σκευὴν ψαλτρίας . . . . . καὶ παρῆν ἀνὴρ οὐδείς. ἀλλὰ μειράκιον ὢν ἔτι καὶ μήπω γενειῶν ὁ Κλώδιος ἤλπιζε λήσεσθαι διαδὺς πρὸς τὴν Πομπηΐαν μετὰ τῶν γυναικῶν.* alter locus in uita Caesaris 10 p. 186 extat huius modi, *ταύτην τότε τὴν ἑορτὴν τῆς Πομπηΐας ἐπιτελούσης ὁ Κλώδιος οὔπω γενειῶν καὶ διὰ τοῦτο λήσειν οἰόμενος ἐσθῆτα καὶ σκευὴν ψαλτρίας ἀναλαβὼν ἐχώρει νέᾳ γυναικὶ τὴν ὄψιν ἐοικώς.* Manutium refutaturus Angelus Maius ad scholia Cicer. or. in Clodium et Curionem p. 337 Or. Plutarchum ait nihil referre nisi Clodium ob adulescentiam inberbem et propter uestitum muliebrem puellae quodam modo similem fuisse, nec recte Manutium credere uideri P. Clodium formosum fuisse. at Maius Plutarchi testimoniis seduci se passus est ut crederet Clodium, cum Bonae Deae sacra anno 692/62 uiolaret, aetatulae caussa non dum barbatum fuisse. illo enim anno Clodius iam quaestor designatus fuit annum trigesimum aetatis iam egressus (cf. Drumanni HR II 205, 82). quam ob rem Clodium natura inberbem et glabrum fuisse et aliquid formae muliebris repraesentauisse adparet. nam quin putemus Clodium faciem rica uelasse primum eo prohibemur quod huius modi uelamen pudicum cum uestitu psaltriae, quo Clo-

Digitized by Google

dius usus est, minime congruebat, deinde quod Cicero ornatum Clodii recensens (cf. in Clod. et Cur. 5 3 de harusp. resp. 21 44) uestimenti similis mentionem nullam fecit. contra cf. in Clod. 5 1 *tu uero festiuus tu elegans tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui effeminare uultum attenuare uocem laeuare corpus potes.* unde Clodium quamuis inberbem docemur naturae corpore laeuigando succurrisse. omnia si mecum reputo primum Clodium scurris locupletibus, ut Ciceronis uerbis utar, exoptatum fuisse quo ad libidines turpes satiandas abuterentur, deinde ipsum scortatorem nobilissimarum feminarum gratia floruisse, tum quamquam tricenarium tamen etiam tum facie tam iuuenili (cf. ad Atticum I 16 10 *pulcellus puer surgit*) et quasi uigente usum fuisse ut pro feminea uenditare auderet, denique, ut magis arcana et dubia attingam, sororem pulcerrimam, quam Catullus nomine Lesbiae celebrauit, cuiusque et ipsius uenustas per diuturnum tempus durabat, habuisse Clodium, facere non possum quin Mureto et Manutio P. Clodium pulcra forma faciei fuisse iudicantibus astipuler. simul autem non negauerim eius pulcritudinem sensim et pedetemptim libidinum caussa in omni intemperantia effusarum, quibus Clodius se dedebat, euanuisse et eius locum deformitatem illam, ut ita dicam, languidam et macie torridam, qualis homines libidinosos aetate procedente inuadere solet, obtinuisse. cuius rei aliquid fragmento 2 6 interrogationis indicatum esse possit quam de aere alieno Milonis Cicero in P. Clodium sub finem anni 701/53 paullo ante quam hic ab illo interfectus est, habuit. ita enim in Clodium tum

quadragenarium Tullius inuehitur. *non pudet?* inquit, *sed quid pudeat hominem non modo sine rubore, uerum omnino sine ore?* quibus uerbis scholiasta Bobiensis p. 344, 10 haec ascripsit, *multa cum acerbitate insurrexit et inpudentiam siue infamem turpitudinem siue deformitatem uoltus uolens exprobrare, non tantum sine rubore uerum etiam sine ore P. Clodium dixit. nam traditur forma inliberali is fuisse.* Cicero igitur lusu paronomasiae adhibito (*sine rubore . . . sine ore*) Clodium ait pudoris rubore suffundi non posse, quoniam eius os turpitudine et infamia obduratum iam dudum ab erubescendo desuefactum sit: ideo uero nec istud os ruboris, pulcerrimi faciei humanae ornamenti, expers proprie oris nomine designari nec eum qui tale habeat ore hominem decenti praeditum esse pronuntiari posse. uides hoc quoque loco nos non cogi ut putemus Clodium deformem fuisse. contra ratio flagitat ut uerba illa, ut fecimus, magis ad animi quam ad corporis turpitudinem referamus: nam quid oris formositas cum rubore habet commune? et os formosum et deforme pariter erubescit: cuius rei aliquid scholiasta dispexit, cum prius de inpudentia et infami turpitudine uultus quam de eius deformitate cogitaret. reliquum est ut locum alterum Ciceronis explicemus, quo confidimus nostram de Clodii pulcritudine sententiam confirmari. extat ille in altercatione qua Cicero idibus Martiis anni 693/61, non ita diu postea quam Clodius sacra Bonae Deae uiolarat, cum hoc ipso in senatu concertauit (cf. Att. I 16 8 argum. schol. Bob. p. 329, 19 Drumanni HR v 588), conceptus hisce uerbis (in Clodium et Curionem 5 4): *Sed credo postquam spe-*

Digitized by Google

culum tibi adlatum est, longe te a pulcris abesse sensisti. qui de fragmentis altercationis illius conligendis emendandis digerendis supplendis optime meritus est, Carolus Beierus, de illo quoque loco reconcinnando rectissime iudicauit. ita enim Beierus coniunxit et suppleuit illum locum, (quae uncis inclusi Beieri sunt supplementa), *tune (Clodi), cum uincirentur pedes fasciis, cum calautica capiti adcommodaretur, cum uix manicatam tunicam in lacertos induceres, cum strophio adcurate praecingerere, in tam longo spatio numquam te Appii Claudii nepotem esse recordatus es? nonne, etiam si omnem mentem libido auerterat, tamen ex(iturum per atrium imagines maiorum tuorum te a tanto scelere etiam mutae reuocare debuerunt? quem enim umquam audisti maiorum tuorum, qui et sacra priuata coluerunt et publicis sacerdotiis praefuerunt, cum sacrificium Bonae Deae fieret, interfuisse? neminem : ne illum quidem qui caecus est factus.) sed credo postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulcris abesse sensisti. ('at sum', inquit, 'haud ita inliberali facie'.) quasi uero ego de facie tua, catamite, dixerim (ac non de flagitio tuo quo maiorum imagines funestas.)* quiuis uidet sententiae nostrae de Clodii pulcra facie, si Beieri de loco hoc reconcinnando sententiae recte se habent, testimonium luculentissimum accedere. profecto uero eae probandae sunt. commendantur autem his caussis, quas cum Beierus adferre omiserit, ipsi breuiter explicare uolumus. proficiscendum nobis est a fragmento *quasi uero ego de facie tua, catamite, dixerim,* quod Beierus ex Iulio Rufiniano de fig. p. 30 Capperon.

Digitized by Google

petiit. neque tamen apud Rufinianum nomen orationis adest unde hic exemplum illud chleuasmi mutuatus est. etiam difficultas quaedam est antea remouenda quam fragmentum illud orationi in Clodium et Curionem habitae adtribuere licet. haec enim apud Rufinianum leguntur, *chleuasmus siue epicertomesis. haec figura risum excitat et seuere proposita uafre excutit eludens personarum aut rerum conparationem, ut apud Vergilium* (*Aen.* XI *383*) '*meque timoris argue tu, Drance*'. *apud Ciceronem* '*quasi uero ego de facie tua, catamite, dixerim uel alias potuisti contumeliosius facere, si tibi hoc Parmeno adloqui* (*per aliquem* Capper.) *ac non ipse Parmeno nuntiasset*'. iam cum apud Priscianum VI 5 29 p. 221 H. Fundanianae hoc frustulum *essetne id quod Meno nuntiasset* extet, Orellius ex Rufiniano in Priscianum *Parmeno* pro *Meno* inferens *) (cf. onom. Tull. p. 442) Nobbius Klotzius sibi persuaserunt locum Ciceronis a Rufiniano seruatum totum ex Fundaniana esse desumptum. sed hoc parum recte fecerunt : quamquam enim Orellio in eo adsentior quod puto partem extremam uocabulorum quae Rufinianus Ciceroniana exhibet ex Fundaniana excerptam esse, tamen pars prior ab illa separanda est, nec dubito quin locus totus a Beiero recte sit ita emendatus, *apud Ciceronem* '*quasi uero ego de facie tua, catamite, dixerim*'. *uel alias*

*) Parmenontem hunc quispiam ad eius nomen Graecum respiciens et considerans ex fragmento Rufiniani elucere eum in partibus Fundanii aduersariorum stetisse, coniecerit eundem fuisse ac testem illum quem, quoniam primam Fundanii nominis litteram dicere non potuit, Cicero inrisit, cf. Quint. I 4 14.

Digitized by Google

'*potuisti contumeliosius facere cet.*', ita ut pro uno loco duos ex diuersis orationibus excerptos Rufinianus adtulerit. emendatio haec non solum a uerbis ipsis egregie commendatur, nam Rufinianus alterum alteri exemplum addens saepius fere eadem adnectendi formula utitur (cf. in pagina eadem Capperonnerii 30 '*et alias*' '*et alibi*' immo '*aut alias*' p. 32), sed etiam a ratione optime defenditur. nam etsi sensus fragmenti ex Fundaniana desumpti obscurior est, tamen adparet id cum uerbis *quasi-dixerim* nullo modo coniungi posse. sed ne de re manifesta nimis diu exponamus, iam nobis dicendum est quo iure uerba illa *quasi de facie tua, catamite, dixerim* altercationi illi in Clodium uindicemus. primum si commendationem quandam externam quam uocant quaerimus, uel eo sententia nostra quodam modo probabilis fit quod exemplum Ciceronianum proxime praecedens *tu uero festiuus, tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus* Rufinianus ex eadem in Clodium et Curionem oratione deprompsit, quod, ut ex palimpsestorum reliquiis intellegi licet, in oratione integra locum uerbis illis *sed credo postquam — abesse sensisti* satis uicinum obtinuit : unde facile fieri potuit ut grammatico prius ironiae exemplum ex oratione in Clodium excribenti uerba illa contigua sub oculos incurrerent. neque minus iudicium nostrum sensu et contextu totius loci defenditur. ex fragmentis uerbis illis praecedentibus liquido confirmatur Ciceronem, postea quam ornatum muliebrem Clodii inrisit, eo processisse ut ex more suo demonstraret quanto opere Clodius a moribus maiorum suorum desciuisset : cuius rei Tullius ita clausulam fecit ut lusu uerborum ambiguorum usus et

Digitized by Google

turpitudinem ornatus Clodii muliebris et turpitudinem morum eius qui a maiorum, quibus olim cognomen Pulcrorum honori esset, uirtute defecisset, uerbis hisce tecte cauillaretur: *credo, postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulcris abesse sensisti*: id quod scholiasta Bobiensis p. 337 bene dispexit, *festiuissime simul et nobilitatem generis infamatam et mores femineos in speculi contemplatione detexit, quo ferme ad explorandam curae suae diligentiam mulieres uti solent. ergo et inliberalem figuram probro dedit et maiorum suorum dissimillimum contestatus est. nam fuit hoc Claudiae familiae cognomen inlustre.* uix autem est quod addam scholiastam de facie deformi Clodii ne uerbum quidem dixisse. tum Clodius simulans se quae Cicero de uestitus et morum turpitudine dixit de faciei deformitate intellexisse, haec, ut Beieri uerbis utar, in Tullium coniecit *at sum haud ita inliberali facie*: quibus Cicero uerbis illis quae ex Rufiniano adsumpsimus respondit. iam si sensus egregium progressum et gradationem consideras, deinde similitudinem quae inter cetera altercationis illius exempla et hoc recens concinnatum intercedit, quippe quae omnia lusu uerborum quodam efficiantur (cf. in primis simillimam nominis proprii et adpellatiui permutationem in illo *regem adpellas, cum Rex tui mentionem nullam fecerit*, cf. ad Att. II 16 10), denique si reputas quam apte nomen 'catamiti' in Clodium quadret, Bejeri restitutio totius loci praeclara et sensum Ciceronis egregie exprimere et resuscitare uidetur. tantum igitur abest ut cum Maio deformitatem P. Clodii loco illo conprobatam esse arbitremur, ut locum illum argumentis eis addendum

Digitized by Google

censeamus quibus supra pulcra Clodium facie fuisse demonstrauimus.

Iam difficultatibus omnibus remotis epigrammatis LXXVIIII, a quo interpretando egressi eramus, sensum et quasi acumen paucis uerbis explicare licet. 'Clodium, inquit Catullus, 'quamquam et nomine et facie pulcer est et hac de caussa a Clodia Catullo praeponitur, tamen praeter Clodiam nemo natus (est enim cum Hauptio *natorum* legendum) osculatur, omnes enim eius os inpurum fugiunt'.

Carmine LXXVIIII explicato aptum uidetur esse de carminibus septem quae in Gellium quendam scripta sunt pauca exponere, cum ea eodem fere tempore quo praecedentia conposita et ad Catulli et Clodiae amores ipsa quoque referenda esse omnia demonstrent. quaeritur autem quis Gellius fuerit is quem Catullus carminibus illis castigauit. qua de re prius quam adcuratius disputamus, non nulla de carminibus ipsis dicenda sunt, ut quae et qualia insint atque quo ordine et quem ad finem scripta sint eluceat. Gellius igitur ille quicumque fuit cum Lesbia commercium quoddam inpudicum habuit. quod cum Catullus cognouisset cumque intellexisset omnes preces et studium omne a se in eo fine conlocatum ut Gellius Lesbiam amare desisteret, frustra sibi consumptum esse, immo cum eo insolentiae nequam ille homo processisset ut Catullum turpiter a Lesbia perfida desertum cauillaretur, poeta poenas grauissimas ab illo pro se capturus Gellium epigrammatis quam acerbissimis concidere apud se constituit. haec quae dixi in carmine CXVI *Saepe tibi studioso animo uenante requirens* ab inter-

Digitized by Google

pretibus perperam explicato indicantur, quod primum septem in Gellium scriptorum carminum conpositum esse arbitror. eorum quae in hoc carmine Gellio minatus erat

at fixus nostris tu dabi supplicium

bene memor Catullus carminibus LXXIIII LXXX LXXXVIII LXXXVIIII LXXXX LXXXXI hominem inpudentissimum acriter inpugnat. carmen CXVI, quod modo tractauimus, quam proxime carmen LXXXXI *Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum* excepisse uidetur. in quo poeta dicit, cum Gellium non delectari nisi amoribus scelestissimis non ignoraret, de amore suo se tutum duxisse, quia Gellium, incestorum tantum sectatorem, amore Lesbiae uinculo sanguinis sibi non coniunctae incendi probabile non fuisset. atque quamquam ipse consuetudine quadam cum Gellio consociatus fuisset, tamen non ita se metuisse ne ille Lesbiam corrumperet, quia puellae non cognatae ab amico auertendae scelus nimis paruum et leue illi flagitiis solis dedito putandum fuisset. at se errauisse. nec opinato Gellium illud nefas studio suo dignum habuisse eique Lesbiam amare lubuisse.

Tu satis, inquit poeta, *id duxti : tantum tibi gaudium in omni*
culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.

quae de Lesbia eiusque amore poeta eo tempore quo carmen hoc scripsit cogitauit, ex uersu secundo, in quo 'de misero et perdito suo amore' loquitur, et e sexto *hanc* (Lesbiam) *cuius me magnus edebat amor*, dilucide

Digitized by Google

perspicitur. stupra incesta quorum in carmine LXXXXI mentio fit carminibus quattuor adcuratius inlustrantur. de incestu enim triplici quem Gellius cum matre et cum sorore germana et cum patrui muliere fecit carmina sunt LXXXVIII *Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore* et LXXXVIIII *Gellius est tenuis. quid ni? cui tam bona mater.* solum incestum cum matre commissum poeta carmine LXXXX *Nascatur magus ex Gelli matrisque nefando* exagitat, contra solum cum patrui uxore factum flagitium carmine LXXIIII *Gellius audierat patruum obiurgare solere* perstringitur. denique ne quid flagitii desit, Catullus carmine LXXX *Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella* Gellii nefandam fellandi libidinem castigat.

Iam si e Gelliis, de quibus scriptores ueteres non nulla rettulerunt, eum eligere studemus in quem Catullus carmina septem haec scripserit, duo Gellii nobis offeruntur, de quorum utroque cogitari potest et iam dudum a uiris doctis cogitatum est. Gellii contra nomen fictum esse pro uero aliquo substitutum nihil prorsus est quod probet neque hoc umquam quisquam quod sciam adfirmauit. nam quae Bernhardius in historia litterarum Romanarum p. 514 ait Lipsium uariarum lectionum I 5 Gellium docuisse a Catullo pro Clodio nominatum esse falsissima sunt, cum Lipsius illo loco non tam de Gellio, quam de Lesbio ea dixerit quae supra p. 89 rettulimus. Gelliorum igitur alter Gellius Poblicola est ille, in quem Cicero cum aliis locis tum in Sestiana acerbissime inuectus est. hunc a Catullo quoque carminibus illis notatum esse post Antonium Parthenium Muretus Turnebus (aduersar. XXI 11) Statius Manutius Vulpius Dru-

Digitized by Google

mannus (HR III 67, 94) Halmius (ad Cic. pro Sest. 51 110) alii arbitrati sunt. qui uiri doctissimi cum caussas uel non uel uix indicauerint quibus ad suam quisque sententiam perductus sit, nobis ipsis eae conquirendae sunt. qua in re idem quod in longe plurimis harum quaestionum Catullianarum nobis fatendum est, permultis rebus tenebras tam spissas obductas esse ut de euidentia consequenda plerumque desperandum, et si rem aliquam ad probabilitatem usque perduximus, quam maxime nobis gratulandum sit. primum igitur ut fundamento firmo disputatio nostra nitatur, ea de Gellio illo ascribenda sunt quae Cicero pro Sestio 51 110 dixit: *an sicubi aderit Gellius, homo et fratre* (L. Marcio Philippo) *indignus, uiro clarissimo atque optimo consule* (anni 698/56 quo Cicero Sestianam habuit) *et ordine equestri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit id erit populare? 'est enim homo iste populo Romano deditus'. nihil uidi magis: qui, cum eius adolescentia in amplissimis honoribus summi uiri L. Philippi uitrici* (consulis 663/91 censoris a. 668/86) *florere potuisset, usque eo non fuit popularis ut bona solus comesset. deinde ex inpuro adulescente et petulante, postea quam rem paternam ab idiotarum diuitiis ad philosophorum reculam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari uoluit, studio litterarum se subito dedidit. nihil sanabant eum libelli, pro uino etiam saepe oppignerabantur, manebat insaturabile abdomen, copiae deficiebant. itaque semper uersabatur in spe rerum nouarum, otio et tranquillitate rei publicae consenescebat. ecquae seditio umquam fuit, in qua non ille princeps? ecqui seditiosus, cui ille non familiaris? ecquae turbulenta*

contio, cuius ille non concitator? cui bene dixit umquam bono? bene dixit? immo quem fortem et bonum ciuem non petulantissime est insectatus? qui, ut credo, non libidinis caussa, sed ut plebicola uideretur, libertinam duxit uxorem. is de me suffragium tulit, is adfuit, is interfuit epulis et gratulationibus parricidarum. in quo tamen est me ultus, cum illo ore inimicos est meos sauiatus. qui quasi mea culpa bona perdiderit, ita ob eam ipsam caussam est mihi inimicus, quia nihil habet. utrum ego tibi patrimonium eripui, Gelli, an tu comedisti? quid? tu meo periculo, gurges ac uorago patrimonii, helluabare ut, si ego consul rem publicam contra te et gregales tuos defendissem, in ciuitate esse me nolles? te nemo tuorum uidere uult, omnes aditum sermonem congressum tuum fugiunt: te sororis filius Postumius, adulescens grauis senili iudicio, notauit, cum in magno numero tutorem liberis non instituit. sed elatus odio et meo et rei publicae nomine, quorum ille utri sit inimicior nescio, plura dixi quam dicendum fuit in furiosissimum et egentissimum ganeonem. praeterea Gellium Tullius in Vatinium 2 4 'nutriculam omnium seditiosorum' nominauit, cf. etiam de harusp. resp. 27 59 ad Attic. IIII 3 2 ad Q. fr. II 1 1 Drumannus HR III 67. his locis conparatis intellegimus Gellium P. Clodii fuisse studiosissimum adseclam, cuius uitia illius flagitia aequarent. hunc Gellium fuisse eum quem Catullus septem carminibus illis perstrinxit conplura commendare uidentur. primum quae in carmine LXXX de Gellio fellatore narrantur cum 'ore illo' inpudico, quod Cicero eandem turpitudinem castigaturus in Sestianae l. c. Gellio obiecit, egregie congruunt. deinde alterum argumentum, quo

Digitized by Google

neminem dum quod sciam sententiam hanc de qua disserimus adiuuisse ad modum miror, inde petere licet quod ex Catulli carmine CXVI Gellium litterarum Graecarum studiosum uel fuisse uel simulasse uidemus. cf. uersus illius carminis priores,

saepe tibi studioso animo uenante requirens
carmina uti possem mittere Battiadae,
qui te lenirem nobis, neu conarere
telis infestum mittere in usque caput . .

Catullus enim quo modo Gellium sibi conciliare speraret carminibus Graecis transmissis et dono datis, nisi Gellius eorum amator fuisset uel talem se gessisset? atque iam uerba illa Ciceronis pro Sestio l. c. conferantur *deinde Graeculum se atque otiosum putari uoluit, studio litterarum se subito dedidit.* nonne ea ad Catullianum quoque Gellium optime quadrare uidentur? contra libidinis inmanitatem usque ad incestus nefastos procedentem, quam Catullus quasi primo loco castigat, Cicero, si a fellandi turpitudine discesseris, in Gellio non notauit, etsi non neglexeris Gellium a Cicerone inpurum adolescentem nominari. sed illi rei cauendum est ne nimium tribuamus, cum dubitare non liceat quin homo quem fellandi flagitio deditum scimus ab incestus scelere non abhorruerit. neque tamen argumenta grauiora desunt, quibus sententia illa oppugnatur. primum uxoris Gellii a Cicerone commemoratae Catullum mentionem non fecisse nos quam maxime offenderet, si Gellius a Catullo reprehensus Clodii amicus ille fuisset. quis enim ueri simile putauerit Gellium, qui et homo perfidissimus

Digitized by Google

et incesti triplicis scelere inquinatissimus a Catullo descriptus est, ab eodem, si adulter quoque fuisset, ob hoc flagitium inpunitum relictum esse? neque Catullus opinor Gellium quod uxorem 'libertinam' duxisset inridere praetermisisset. ex his difficultatibus nos expedire non possumus, nisi statuimus Gellium, quo tempore Catullus epigrammata in eum coniecit, non dum libertinam illam in matrimonium duxisse. sed uide quam sententia illa parum probabilis sit, cum simul ei qui hoc credit sumendum est anno 697/57 Gellium libertinam duxisse, anno antea quam Cicero Sestianam habuit : nam Catulli in Gellium carmina, ut infra exponemus, a. 696/58 scripta sunt. quod si uerum esset, Cicero sine dubio dixisset Gellium *nuper* libertinam duxisse. accedit quod ueri simile non est Gellium, anno 697/57 aetate iam prouectiorem, hoc demum anno matrimonium iniisse et, id quod plus ualet, Clodiae acceptum et gratiosum fuisse. ut enim de Gellii aetate quaeramus, inde quod Cicero ait *in amplissimis honoribus* L. Philippi uitrici eum florere potuisse, cum L. Marcius Philippus a. 663/91 consul et 668/86 censor esset, concludi potest eum Ciceronis aequalem anno fere 648/106 natum esse : quae ratiocinatio eo confirmatur quod frăter Gellii priuignus ex eadem matre ortus *) L. Marcius Philippus, cum a. 698/56 consul esset, non post annum 655/99 natus esse potest. L. enim

---

*) cf. schol. Bob. pro Sest. p. 304 *L. Marcius Philippus, qui etiam conlega Cn. Lentulo Marcellino in consulatu fuit, fratrem habebat uterinum L. Gellium et ipsum quantum adparet Ciceronis inimicum.*

Digitized by Google

Marcius Philippus censor, quem modo diximus, uxorem a Gellio quodam relictam, quae huic marito priori filium pepererat, cui praenomen Lucii a scholiasta tribuitur et de quo disputamus, in matrimonium duxit et ex ea L. Marcium Philippum consulem a. 698/56 filium genuit. quod matrimonium circa annum septimi saeculi quinquagesimum initum esse ex interuallo conligere licet quod inter annum natalem Gellii Clodiani et Philippi filii intercedit. praeterea Gellium tempore quo Cicero Sestianam habuit seniorem iam fuisse inde patet quod tum eius sororis filius Postumius dudum adultus iam pater liberorum conplurium fuit. ex his omnibus sequitur ut Gellius ille Clodii amicus multis annis et Catullum et Lesbiam antecesserit aetate. anno 696/58 enim, quo carmina Catulli in Gellium scripta esse iudicamus, Catullus, si rationes nobis supra probatae constant, annum undetrigesimum Clodia septimum et trigesimum Gellius duodequinquagesimum agebant. uides hoc aetatis discrimine uulgarem opinionem ualde labefactari. neque uero desunt argumenta quibus opinio uulgaris funditus euertitur. reputa quaeso haec. triplicis incestus, ut iam supra narrauimus, Catullus Gellium accusat. fecisse enim eum cum matre et cum sorore germana et cum patrui uxore stupra. de patruo eiusque uxore nihil scimus. Gellii sororem aliquam Cicero pro Sest. l. c. commemorauit. quae cum a. 698/56 iam dudum auia fuerit, dubitare licet num a. 696/58 etiam tum tam ualens et uenusta fuerit, quam sororem illam quacum Gellius adulterabat fuisse Catullus in carmine LXXXVIII 2 rettulit. quod relinquamus in suspenso. sed Gellium Clodii

Digitized by Google

amicum anno 696/58 cum matre sua incestum fecisse nullo modo credi potest. Gellius tempore illo quod diximus quinquaginta fere annos natus fuit. mater eius, quae post Gellii mariti mortem *) L. Philippo nupserat, etiam si sumae musam, cum Gellium pareret, non plus quam annos uiginti conpleuisse, tamen necesse est ut anno 696/58, quo iam proauia facta erat, duodeseptuaginta minimum annos nata fuerit. quis uero arbitretur Gellium quinquagenarium cum matre fere septuagenaria incestum commisisse? quae inmanitas si re uera fuisset, quis Catullum iudicet huic turpissimae rei notam sempiternam inurere omisisse? neque artificium quoddam in promptu est quo res alia et magis probabili ratione explicari possit. de nouerca cogitare non licet, pater Gellii iam dudum mortuus erat, et, si L. Marcius Philippus aut mortua aut repudiata uxore alteram duxisset, cuius rei nulla ad nos notitia peruenit, putari non posset haec a Catullo *matris* nomine adpellata esse. omni enim sale epigrammata illa carerent, nisi aut ad matrem aut ad nouercam spectarent. de uxore quadam altera uitrici, quacum Gellius ne minimo quidem cognationis uinculo coniunctus fuisset, adhibita acumina illorum carminum magno opere hebetia et infirma iure optimo nobis uiderentur.

---

*) Hereditatem quam Gellius post mortem patris accepit Cicero pro Sest. l. c. his commemorauit uerbis *postea quam* (Gellius) *rem paternam ab idiotarum diuitiis ad philosophorum reculam perduxit*, atque ad eandem rem uerba referuntur praecedentia *qui usque eo non fuit popularis ut bona solus comesset* et mox sequentia *gurges et uorago patrimonii tui.*

Digitized by Google

ceterum tempore quo Catullus in Gellium inuectus est, L. Philippus Gellii uitricus non iam in uiuis fuit. hoc uel ex loco Sestianae quem excripsimus conligi potest. uide uerba *qui cum eius adulescentia-florere potuisset.* praeterea Philippum si perpendimus iam senem tum fuisse cum anno 668/86 pro Pompei bonis Asculanis diceret (cf. Cic. Brut. 64 230), et anno 676/78 ceteros in senatu aetate anteisse (cf. Sall. hist. I 18. 19), manifestum est eum anno quem uocant suo consulatum nec anno 661/93, quo Herennii caussa repulsam tulit, petiisse nec anno 663/91 gessisse, sed minimum decennio post suum annum a. 661/93 cum Herennio de magistratu summo certauisse. idcirco anno fere 608/146 Philippum natum esse censendum, qua cum definitione quae de Antonii Crassi Philippi Gellii oratorum aetate Cicero (Brut. 47 173. 174) dixit optime consentiunt. unde a. 696/58 uel 698/56 eum iam mortuum esse ueri simillimum est. denique uix est quod moneam Teuffelium in Paulii encyclopaedia III 1538 docentem L. Philippum a. 629/125 natum esse mirum errorem commisisse : quem numerum ignoro cui auctori debeat uel qua ratiocinatione uir doctissimus adsecutus sit. quae cum ita sint non possumus facere quin ualde inprobabile esse iudicemus Gellium, in quem Cicero pro Sestio acerbissime inuectus est, a Catullo illis quae diximus septem carminibus significatum esse.

Nihil igitur inpedit quo minus nos ad alterum Gellium conuertamus, quem praeter Clodii illum adseclam a scriptoribus ueteribus commemorari iam supra adnotauimus. hic Gellius alter, quem a Catullo significatum esse nemo praeter Octauium Pantagathum putauit, L.

Digitized by Google

Gellius est L. f. L. n. Poblicola, filius L. Gellii consulis 682/72 censoris 684/70. de L. Gellio hoc quae scimus, fere omnia duobus scriptoribus Valerio Maximo et Cassio Dioni debemus, quorum uerba hic inmutata describere liceat. Valerius Maximus memorabilium v 9 1 *L. Gellius,* inquit, *omnibus honoribus ad censuram defunctus, cum grauissima crimina de filio, in nouercam commissum stuprum et parricidium cogitatum, prope modum explorata haberet, non tamen ad uindictam procurrit continuo, sed paene uniuerso senatu adhibito in consilium expositis suspitionibus defendendi se adulescenti potestatem fecit : inspectaque diligentissime caussa absoluit eum tum consilii tum etiam sua sententia. quod si inpetu irae abstractus saeuire festinasset, admisisset magis scelus quam uindicasset.* Cassius Dio haec memoriae tradidit xxxxvii 24 *διατρίβοντος δὲ Βρούτου ταύτῃ* (in Asia quo Caesare mortuo anno 711/43 ex Macedonia nauibus traiecerat) *ἐκείνῳ Γέλλιος Ποπλικόλας ἐπεβούλευσε . . . ὁ δὲ δὴ Γέλλιος ἐφωράθη μέν, ἔπαθε δὲ δεινὸν οὐδέν. ὁ γὰρ Βροῦτος ἐκεῖνόν τε ἐν τοῖς φιλτάτοις ἀεί ποτε νομίσας εἶναι καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Μάρκον Μεσσάλαν πάνυ τῷ Κασσίῳ προςκείμενον εἰδὼς ἀφῆκεν αὐτόν. καὶ ὃς ἐπέθετο μὲν καὶ τῷ Κασσίῳ, οὐδὲν δὲ οὐδὲ τότε κακὸν ἔπαθεν. αἴτιον δὲ ὅτι ἡ μήτηρ αὐτοῦ Πῶλα προμαθοῦσα τὴν ἐπιβουλὴν καὶ δείσασα περί τε τῷ Κασσίῳ μὴ προκαταληφθῇ (σφόδρα γὰρ αὐτὸν ἠγάπα) καὶ περὶ τῷ υἱῷ μὴ καταφωραθῇ, τό τε ἐπιβούλευμα αὐτὴ ἑκοῦσα τῷ Κασσίῳ προεμήνυσε καὶ τὴν σωτηρίαν τοῦ παιδὸς ἀντέλαβεν. οὐ μέντοι καὶ βελτίω αὐτὸν ἐποίησεν. πρός τε γὰρ τὸν Καίσαρα καὶ πρὸς τὸν Ἀντώνιον ἀπὸ τῶν εὐεργετῶν ἀπηυ-*

Digitized by Google

τομόλησεν. Antonius et Octauianus illius perfidiam consulatu a. 718/36 delato remunerati sunt. bello ciuili postea inter Octauianum et Antonium exorto huius caussae addictus in pugna Actiaca una cum Antonio ipso dextro classis cornui praefuit.

Hunc Gellium fuisse putauerim quem Catullus septem illis carminibus perstrinxit. quae sententia ad modum probabilis uidebitur ei qui L. Gellii illius res familiares paullo adcuratius considerauerit. L. Gellius L. f. Poblicola consul a. 682/72 natus circa annum 616/138 *) ex uxore Pola L. Gellium filium, postea a

---

*) Circa annum 616/138 L. Gellium natum esse nos cum Drumanno (HR III 64) et cum Haakhio (in Paulii encyclopaedia III 662) contendimus, etsi Orellius (onom. Tull. p. 269) cum aliis aliter statuit. res inde dependet num L. Gellius orator, cuius aliunde non cogniti Cicero (in Bruto 27 105. 47 174) bis mentionem fecit, idem fuisse atque L. Gellius consul a. 682/72 adfirmetur an negetur. et negandum quidem illud eo uidetur quod L. Gellii anni consularis ratione habita ad eius annum natalem 639/115 referimur, et quod Gellium oratorem, ut pote qui et C. Papirii Carbonis in eius consulatu 634/120 contubernalis et aetati M. Antonii L. Crassi L. Philippi, quorum primus a. 611/143 alter a. 614/140 tertius circa annum 608/146 (cf. supra p. 110) nati erant, prope coniunctus esset (cf. Brut. 47 174), necesse habemus concludere circa annum 616/138 natum esse. nam maius inter annos 616/138 et 639/115 natales ratione diuersa repertos discrimen extat, quam ut de uno eodemque uiro consociari eos posse probabile sit. ut enim annum 616/138 probemus, L. Gellius consulatum uiginti tribus annis post suum quem uocant annum anno aetatis sexagesimo sexto gessit. nihilo minus hac difficultate non deterriti et argumentis, ut nobis quidem uidetur, grauioribus freti arbitramur cum Drumanno et Haakhio L. Gellium consulem et L. Gellium oratorem eundem esse hominem a. 616/138

Digitized by Google

Catullo uersibus acerbissimis castigatum, genuit, qui, si eius anno consulari 718/36 confidere licet, circa annum

---

natum. primum enim Cicero Bruti loco quem iam saepius citauimus (§ 105) L. Gellium oratorem 'familiarem suum' adpellat et eodem nomine de legibus I 20 53 L. Gellius ex praetura proconsul, quem omnes consulem a. 682/72 fuisse consentiunt, adpellatur. cf. de leg. l. c. *Att. Qui istuc fieri potest L. Gellio mortuo? M. Cic. Quid tandem id ad rem? Att. Quoniam Athenis ex Phaedro meo audire memini Gellium, familiarem tuum, . . . philosophos conuocasse.* re uera L. Gellium familiaritate cum Tullio coniunctum fuisse rebus non nullis cognoscitur (cf. in Pison. 3 6 post red. ad Quir. 7 17 Gellii NA v 6 15). deinde de L. Gellio oratore Tullius *multam* inquit *operam amicis et utilem praebuit, atque ita diu uixit ut multarum aetatum oratoribus inplicaretur*: et L. Gellium consularem uirum ipsum quoque ualde senem factum esse ex Ciceronis ioco quodam adparet, quem Plutarchus (Cic. 26) hisce narrat uerbis: *ἐπεὶ Καίσαρι ψηφισαμένῳ τὴν ἐν Καμπανίᾳ χώραν κατανεμηθῆναι τοῖς στρατιώταις πολλοὶ μὲν ἐδυσχέραινον ἐν τῇ βουλῇ, Λεύκιος δὲ Γέλλιος ὁμοῦ τι πρεσβύτατος ὢν εἶπεν ὡς οὐ γενήσεται τοῦτο ζῶντος αὐτοῦ· περιμείνωμεν, εἶπεν ὁ Κικέρων, μακρὰν γὰρ οὐκ αἰτεῖται Γέλλιος ὑπέρθεσιν.* quo loco simul dilucide demonstratur eos qui anno consulari Gellii freti eum circa annum 639/115 natum esse iudicant insigniter falli. L. enim Gellius, uir consularis, anno 695/59, quo Caesar agrum Campanum diuidi iussit, *ὁμοῦ τι πρεσβύτατος* fuit. quis uero contendet ita uirum quinquaginta sex annorum designari posse? optime contra omnia quadrant, si L. Gellium a. 616/138 natum esse putamus: id quod aliis ex caussis supra iam conclusimus. nam tum anno 695/59 Gellius paene octoginta annos habens sane *πρεσβύτατος* fuit. quae cum ita sint neque argumenta alia momenti minoris desint, ueluti eodem praenomine et oratorem et consulem usum fuisse et quod oratoris diutissime uiuentis, si a locis duobus Ciceronianis discedimus, apud scriptores ceteros numquam mentio factā esset, equidem in L. Gellii consulatu sero non offendo. de anno quo praetura Gellius functus est parum liquet, tamen quae conferantur digna

Digitized by Google

675/79 natus est. postea Gellius pater Polam uxorem repudiauit : quod cur fecerit ignoratur neque tamen hac in re offendemus, quoniam illis rei publicae liberae temporibus extremis diuortia inter coniuges saepissime et propter caussas leuissimas fiebant. Polam uero a L. Gellio repudiatam M. Valerius Messalla Niger (consul a. 693/61) matrimonio sibi adiunxit, natus, si ex consulatu quid concludere licet, a. 650/104, qua cum re Cicero (Brut. 70 246) consentit dicens M. Messallam natu minorem quam se fuisse. is ex Pola tres filios procreauit, quorum clarissimus M. Valerius Messalla Coruinus natus est circa annum 687/67 (cf. Hermannus ad Hieron. p. 13 Reifferscheidius ad Suet. p. 83): reliqui duo Potitus Valerius Messalla consul suffectus a. 725/29 et Pedius Poplicola, quem Q. Pedius, filius ex sorore G. Iulii Caesaris, sibi adoptauerat (cf. interpretes ad Hor. sat. I 10 28. 85), quibus annis nati sint minus liquet. de Potiti tamen anno natali eius consulatus nos ad annum 682/72 ducit, ita ut non sine caussa conici possit matrimonium M. Messallae Nigri et Polae circa annum 680/74 initum esse. L.

---

sunt uerba haec, quae de leg. l. c. Tullius Atticum dicentem facit : *quoniam Athenis audire ex Phaedro meo memini Gellium, familiarem tuum, cum pro consule ex praetura in Graeciam uenisset, Athenis philosophos conuocasse.* quae uerba ita accipienda esse uidentur ut Phaedrus, philosophus ille Epicureus, T. Pomponio, cum Roma relicta Athenas uenisset, nuperam illam rem ridiculam et saepe derisam narrauerit. cum uero Atticus anno fere 669/85 Athenas migraret (cf. Drumanni HR v 7, 68), ante hunc annum Gellius praetor fuit. unde Reinius (in Paulii encyclop. vi 138) conlegerit L. Gellium anno 678/76 uel a. 679/75 in Graecia pro praetore fuisse equidem ignoro.

Digitized by Google

igitur Gellius consul a. 718/36 et Valerii illi Messallae fratres uterini fuerunt.

L. ille Gellius pater Pola uxore circa annum 675/79 repudiata alteram uxorem duxit, cuius nomen nos latet. haec erat L. Gellii filii nouerca, quacum hunc stuprum incestum facere et pater eius suspicabatur et Catullus ut rem exploratam castigasse uidetur. quae sententia rebus non nullis pulcre commendatur. primum L. Gellii filii aetas est ea qua adiuuetur illa. etenim Gellius anno 696/58, cui Catulli in Gellium carmina adtribuenda sunt, si illius anno consulari nitimur, uigesimum unum aetatis egit : Catullus tum undetrigesimum agebat. L. igitur Gellii aetas aetati Catulli multo propior erat quam Gellii Clodiani. praeterea nihil inpedit quin L. Gellium duobus tribusue annis post suum annum consulatum gessisse arbitremur, ita ut G. Licinii Calui et M. Caelii Rufi aequalis fuerit, quorum alterum eadem ex caussa atque Gellium Catullo inuisum fuisse supra demonstrauimus. deinde Valerius Maximus illum ipsum incestum L. Gellii cum matre factum aperte commemorat, cuius caussa Catullus Gellium reprehendit : immo si tempus spectamus quo Gellius cum matre stuprare solebat uel saltem putabatur, omnia optime inter se quadrant. Catullus enim epigrammatis illis flagitia Gellii reprehendit, quae tantum abest ut ante tempus longius quoddam ille commiserit, ut illo ipso tempore quo poeta carmina scripsit fecerit. quo anno Catullus epigrammata illa conposuit (a. 696/58), eo Gellius unum et uigesimum uel, quod paullo ante statuere maluimus, uigesimum quartum habebat. adulescens igitur,

Digitized by Google

quo nomine a Valerio Maximo designatur, re uera tum Gellius erat. itaque L. Gellio patri, quem circa annum aetatis duodesexagesimum alteram uxorem duxisse supra conlegimus, a. 696/58 octogesimum agenti annum aemulus perniciosus in filio libidinoso adoleuerat, in quem, cum stuprum cum matre sua facere uideretur, pater quaestionem a Valerio Maximo traditam instituit. utrum L. Gellius filius usque ad incesti flagitium processerit an suspitio patris falsa fuerit, id quod Valerius Maximus narrat, nostra nihil interest scire. eadem suspitio, siue recta siue falsa erat, qua motus Gellii pater quaestionem consilii senatorii in filium instituit, Catullo quoque suffecit ut carminibus acerbissimis idem flagitium castigantibus hominem Lesbiae insidiantem persequeretur. ceterum equidem de Gellii innocentia Valerio Maximo uix possum credere, si et Gellii mores et auctoritatem Valerii Maximi ipsius mecum reputo. num eum qui Cassii et Bruti, quibus fidum animum et officium simularat, uitae insidiatus est et quamquam poenae remissione bis inmerito accepta tamen perfidus ad Octauiani et Antonii partes transiit, putabimus omnino innocentem in suspitionem parricidii et incestus materni uenisse? equidem ualde in eam sententiam inclino ut Valerium Maximum, cuius fides multis in rebus ualde dubia et suspecta est, in fontibus suis repperisse L. Gellium parricidii et stupri cum nouerca commissi accusatum a consilio senatorio liberatum esse atque inde suo modo et in commodum suum rem exornauisse putem. rei autem absolutione illis temporibus eius innocentiam minime probari potuisse non est quod adcuratius persequar. praeter incestum cum

Digitized by Google

matre commissum incesta duo alia cum sorore germana et patrui uxore in Gellio a Catullo reprehenduntur. hunc patruum Octauius Pantagathus illum ipsum putauit Gellium Poblicolam fuisse, de quo a Cicerone pro Sestio acerbe tractato nos ipsi supra longius disseruimus, ita ut L. Gellius consul 682/72 frater Gellii Clodiani fuerit, quam sententiam si probamus, ut praeter alios Drumannus (III 67) et Orellius (onom. Tull. p. 270) re uera probarunt, uxor libertina Gellii Clodiani, quam Cicero pro Sestio commemorauit, 'patrui uxor' fuit, quacum Gellius consul 718/36 adulescens moechabatur. ceterum non negamus discrimen fere triginta annorum, quod inter aetatem Gelliorum fratrum intercedit (Gellium consulem 682/72 circa a. 616/138 et Gellium Clodii adseclam circa a. 648/106 natum esse supra p. 107. 112 ipsi exposuimus) paene maius uideri quam ut fratres haberi possint, nisi forte statuere uelimus duabus ex matribus eos a L. Gellio genitos esse.

Postea quam disputatio nostra in Gelliis describendis et discernendis paene nimis diu institit, iam tandem aliquando progredi licet. primum carmen LXXXV hoc uno disticho conceptum adferamus,

Odi et amo. quare id faciam fortasse requiris.
nescio, sed fieri sentio et excrucior :

non quo arbitremur hoc epigramma nullo libri Catulliani carmine alio interposito a poeta Veronensi post Gelliana conpositum esse, sed ut post digressionem longiorem, quam de Gelliis facere debebamus, a carmine initium pergendi capiamus quod eos qui haec legent statim

Digitized by Google

mediam in rem adductos aduertat qualis condicio amoris Catulliani in eis carminibus adparuerit in quibus enarrandis supra subsistebamus. illud igitur epigramma LXXXV *Odi et amo* omnibus illis carminibus quae Catullus per tempus discidii inter amantes orti scripsit, quodam modo tituli loco praeponi possit. odio enim et amore huc atque illuc actus poeta miser non dum a se inpetrare potuit ut Clodiam desereret, et carmina acerba in aemulos suos, Lesbiae amatores innumerabiles, conicere pergebat. ueluti in carmine XXXVII *Salax taberna uosque contubernales* Catullus in iuuenes non nullos (e quibus Egnatium quendam Celtiberum nominat), qui in taberna certa contubernium libidinosum quoddam faciebant et quibuscum Lesbia commercium inpudicum habebat, acriter inuehitur, cf. u. 11 et sequentes :

puella nam mi quae meo sinu fugit
amata tantum quantum amabitur nulla,
pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
consedit istic. hanc, boni beatique,
omnes amatis et quidem, quod indignumst,
omnes pusilli et semitarii moechi.

neque hoc uno in gregem illum carmine scripto Catullus sibi satis fecit. ab Egnatio enim eodem, quem in hoc carmine extremo nominauit, poeta carmine XXXVIIII *Egnatius quod candidos habet dentes* grauissimas capit poenas. at qualis illa fuit salax taberna, in qua Lesbia sedens cum moechis trecentis stupra faciebat ? fuit, ut ex rerum et uerborum contextu patet, quamquam nomine caruit, tam enre uera nihil nisi lupanar, ut famosa

Digitized by Google

illa taberna, ad quam uisendam copa Syrisca inuitans inter alia *est hic* inquit *munda Ceres, est Amor, est Bromius.* praeiuit igitur quodam modo Clodia exemplo suo Messalinae, uxori Diui Claudii, mulieri famosissimae, de qua Iuuenalis in satura vi 115 haec dixit,

Claudius audi
quae tulerit. dormire uirum cum senserat uxor,
sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos
ausa Palatino et tegetem praeferre cubili
linquebat comite ancilla non amplius una,
et nigrum flauo crinem abscondente galero
intrauit calidum ueteri centone lupanar
et cellam uacuam atque suam : tunc nuda papillis
prostitit auratis titulum mentita Lyciscae.

Verum enim uero iam dudum omnia clamabant Clodiam, scortum uile, a Catullo deserendam esse. poeta ipse tandem aliquando intellexit se quo diutius cum Lesbia familiaritate quadam coniunctus esset, eo maiori id sibi probro futurum esse, atque nisi amorem illum miserum deponere et omnia Clodiae uincula disrumpere ualeret, necesse fore ut ignominiam et infamiam maximam sine pudore et dolore ferre adsuesceret. tum poeta animum erigens Lesbiam deserere apud se constituit. primum cum carmina sua amoris pristini gaudia et uoluptates celebrantia penes Lesbiam manere nollet, ab ea illa repoposcit. sed Clodia opinata se animum Catulli iracundiorem artificiis illis quibus tam saepe poetam sibi reconciliauisset facile mitigaturam esse, carmina reddere recusauit. tum Catullus indignatione et

Digitized by Google

ira uehementissime exardens in illam carmen XXXXII *Adeste hendecasyllabi quot estis* scripsit, quo acerbius in Clodiam scriptum in libro Catulliano non reperias. paullo postea quam animo uehementi et irato Catullus carmen XXXXII scripsit, poeta carmine octauo *Miser Catulle desinas ineptire* puellae ualedicit sedate, sed ita ut facile intellegatur et Lesbiam etiam tum a poeta ardenter amari et, si Lesbia fidem religiose seruare promitteret, Catullum paratissimum fore ad amorem redintegrandum. hanc carminis rationem Mauricius Hauptius obseruationum criticarum p. 2. 3 his uerbis bene exposuit: *in hoc dulcissimo carmine dum se reuocat poeta a misero amore, non tamen omnem spem recuperandi ea quae perierunt ita abiecit ut abiecisse uideri uult, nec tam obstinata mente obdurat quam de se praedicat. quare multus est in describenda relictae a se puellae tristi solitudine atque in fine carminis iterum sese ut obduret adhortatur.*

Et profecto subito in amore Catulli omnia conversa sunt: reconciliationem inter amantes perfectam esse animaduertimus. quae cur facta sit, utrum indignatione uehementi qua carmen XXXXII feruet Lesbia mota sit ut ad Catullum rediret an desiderio tecto quod carmen VIII spirat an quia casu diebus illis amatoribus inuita caruit, haec quidem omnia ignorantur. tertium igitur genus carminum secerni potest eorum quae ad tempora discidii inter amantes sublati referenda sunt. reconciliationem amantium in primis carmen CVII testatur, quod pulcrius et uenustius est quam ut hoc loco excribendum non ducam.

Digitized by Google

Si quicquam cupido optantique obtigit umquam
insperanti, hoc est gratum animo proprie.
quare hoc est gratum nobisque est carius auro
quod te restituis, Lesbia, mi cupido,
restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te
nobis. o lucem candidiore nota.
quis me uno uiuit felicior, aut magis hac res
optandas uita dicere quis poterit?

quod carmen amoris testis est fere insani quo Lesbia Catullum sibi deuinxerat. ut primum Clodia poetae proposuit amorem interruptum redintegrare, Catullus propositum accipere laeto animo non cunctatur, sed deos inplorat ut quae Lesbia sibi praestare promiserit rata esse iubeant. cf. carmen CVIIII

Iucundum, mea uita, mihi proponis amorem,
hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.
di magni, facite ut uere promittere possit
atque id sincere dicat et ex animo,
ut liceat nobis tota producere uita
aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

quo pressius et enixius poeta deos ut Lesbiae animum moderentur rogatos esse uult, ut ea Catullo fidem seruare 'sincere' et 'ex animo' polliceatur, eo clarius intellegitur saepissime a muliere perfida poetam credulum deceptum esse. cum duobus praecedentibus carminibus carmen XXXVI *Annales Volusi cacata charta* coniungendum est, in quo lepidum et ioculare sacrificium Veneri uotum et factum describitur. Lesbia enim Veneri uouerat, si

Digitized by Google

Catullus sibi in gratiam se restituisset et truces uibrare iambos desiisset, se

electissima pessimi poetae
scripta tardipedi deo daturam
infelicibus ustulanda lignis.

iam reconciliatione amantium facta Lesbia Volusii, poetae inficeti, de quo infra plura dicenda erunt, annales in Veneris honorem igni comburendos tradit. Mommsenus (histor. Roman. III 573) carmen hoc non recte, ut mihi quidem uidetur, intellexit, cum doceat puellam uotum illud fecisse ut Catullus iambos acerbos de misero statu et condicione rei publicae in eius gubernatores scribere desineret et denuo amoribus uacaret. Catullus enim quo tempore principes rei publicae iambis uexabat, nisi omnes rationes fallunt, Lesbiae amoribus non iam utebatur. Lesbiam autem illam 'puellam' fuisse, cuius uotum lepidum in carmine XXXVI narratur, praeter dubitationem positum est. ut nos uersus quartum et quintum

uouit, si sibi restitutus essem
desissemque truces uibrare iambos,

praeter alios iam olim Muretus et Scaliger explicauerunt. cum uersu quarto optime conferri potest carminis CVII, quod modo excripsi, uersus quartus *quod te restituis, Lesbia, mi cupido.* de iambis quos Catullus in uersu quinto commemoratur in Lesbiam uibrasse, memoriam acerbissimorum hendecasyllaborum carminis XXXXII et choliamborum carminis XXXVII et carminis VIII recolere licet. nam Catullum, cum iambos uocaret,

Digitized by Google

non tam e mente metricorum adcurate locutum esse quam uersus acerbos et aculeorum plenos significare uoluisse ex carmine LIIII 6

Irascere iterum meis iambis
inmerentibus, unice inperator,

et ex hendecasyllabis quibus Rauido minitatus est adparet (xxxx)

quaenam te mala mens, miselle Rauide,
agit praecipitem in meos iambos?

quibus uersus Catulli a comment. Cruq. Hor. carm. I 16 24 seruatus *At non effugies meos iambos* simillimus est.

'Soles' igitur illi 'candidi' quos in carmine octauo praedicauit denuo poetae exoriri uidebantur : fortunam diu desideratam reciperasse et in sempiternum tempus reciperasse se Catullus opinabatur. sed haec opinio falsissima fuit. Lesbia enim tunc non aliter atque antea se gessit. unde tandem mulier quae nisi peierandi caussa non iurare uidebatur subito fidem et religionem seruare disceret? tum demum Catullus indulgentia omni et patientia seposita animum recepit atque sanitati oboediuit. haud cunctanter enim poeta uinculum foedum et se indignum dirempturus Lesbiae amicitiam et amorem in perpetuum renuntiauit. hanc renuntiationem quam aegre poeta perfecerit et tulerit, cognosci licet ex carmine LXXVI *Si qua recordanti benefacta priora uoluptas*, cuius suauitatem pauca libri Catulliani carmina aequiperant.

Difficile est, inquit poeta, *longum subito deponere amorem.*
difficile est, uerum hoc qua lubet efficias.

Digitized by Google

una salus haec est, hoc est tibi peruincendum :
hoc facias, siue id non pote siue pote.

eo se consolatus quod semper erga Lesbiam pium et fidelem se praestiterit neque admonitionibus beniuolis umquam pepercerit poeta, cum intellegat omnem fidem et omne amoris studium frustra a se consumptum esse, ad se ipsum conuersus ait,

quare iam te cur amplius excrucies ?

deinde deos inplorat, quasi se ipsum solum negotio huic subeundo non satis idoneum et ualidum putet, ut sibi 'pestem et perniciem' illam eripiant. quo facto carmen uersibus his finitur,

non iam illud quaero contra ut me diligat illa
aut, quod non potis est, esse pudica uelit :
ipse ualere opto et taetrum deponere morbum.
o di, reddite mi hoc pro pietate mea.

paullo post aut paullo ante quam carmen LXXVI scripsit Catullus carmen LXVIII[a] (= LXVIII 1—40) fecit. cum enim Manlius quidam per epistulam Catullum rogauisset ut se uariis rebus adflictum carminibus amatoriis transmissis quodam modo consolaretur et erigeret, poeta amico respondit se, cum non minoribus quam ille calamitatibus opprimeretur ipse, precibus Manlii satis facere non posse. prioribus quidem temporibus magis idoneum se fuisse carminibus amatoriis conponendis : nam

tempore quo primum uestis mihi tradita purast,
iucundum cum aetas florida uer ageret,
multa satis lusi : non est dea nescia nostri
quae dulcem curis miscet amaritiem.

Digitized by Google

sed tempus illud felix subito morte fratris carissimi abruptum ac finitum esse,

> *cuius ego interitu tota de mente fugaui*
> *haec studia atque omnis delicias animi,*

quam ob rem iam nihil se eo commoueri quod amicus Roma Veronam (ubi tum poeta morabatur) scripserit Lesbiam se ipso a Roma absente cum uno quoque 'de meliore nota' consuescere : iam enim hoc miserum quidem nec uero sibi turpe esse : miserum quod dolendum Clodiam, mulierem olim honestam et ex gente nobilissima ortam, prorsus a uirtute desciuisse, neque tamen sibi turpe esse, quia quamquam temporibus prioribus amore cum muliere illa deuinctus, iam dolore de fratris morte percussus ab omni amandi studio et a Lesbia pridem se reuocauerit. unde adparere ex eo quod iam Lesbia cum quolibet se prostituat sibi infamiae quicquam nasci non posse. explicat igitur, ut uidimus, hoc carmine poeta amorem renuntiatum inde quod animus suus dolore grauissimo adfectus amoribus et laetitiae se dedere inpotens fuerit. quae explicatio poetae ipsius uereor ut omni ex parte rebus ipsis apta et consentanea sit. multo contra ueri similius ei qui praecedentia apud se reputauit uidebitur Catullum, cui Manlio et ueram amoris Lesbiae depositi caussam profiteri et illo sibi propter idem discidium infelicissimo tempore inportune petenti satis facere graue et molestum fuit, recusationem suam dolore de fratris morte uetere quam (id quod unice uerum fuisset) dolore recenti ex Lesbiae repudio residuo excusare maluisse. denique illa Veronae commoratio

Digitized by Google

haud scio an cum renuntiatione amoris artius coniungenda sit. qui denim obstat quo minus Catullum, cum consilium cepisset Lesbiae amoris in perpetuum repudiandi, Roma Veronam abiisse arbitremur, et quia Veronae, ubi occasio Lesbiae conspiciendae deesset, ab animo facilius inpetrare posset ut 'obstinata mente obduraret' et ut hominum cum beniuolorum tum maliuolorum de repudio illo sermones et fabulas si non uitaret, certe effugeret. quo de repudio cum Manlius nihil conperisset, illa de Lesbiae nequitiis ad Catullum Veronae commorantem eius famae consulturus scripsit. eisdem caussis, quibus ut Romam relinqueret Catullum adductum esse modo coniecimus, certo adfirmamus eum anno 697/57 cum G. Memmio Gemello praetore in Bithyniam prouinciam profectum esse : qua de expeditione adcuratius exponendi occasio infra non deerit. illuc cum Catullus uere anni sequentis 698/56 rediisset, quae in Lesbiam scripsit carmina pauca tantum abest ut amoris qualiscumque testes sint, ut solam cauillationem acerbam atque frigidi animi contemptionem spirent. illam cauillationem Catulli natura quasi postulabat. etenim poeta, quotiens omne suum studium et amorem et amicitiam ab ingratis et perfidis hominibus turpiter neglegi et despici uidit, totiens non satis habuit officiis suis fideliter perfunctus esse, sed ira propter animum hominum scelestum inflammatus non prius adquieuit neque dolori suo solacium repperisse se putauit, donec homines illi ingrati 'fixi' carminum 'telis supplicium dedissent' graue. itaque Catullus cum e Bithynia reuertisset et Romam uenisset, ibi per amicos audiuit quam egregie nuper

Digitized by Google

Cicero, cum pro M. Caelio Rufo diceret, Clodiam concidisset : cuius rei gratias Tullio Catullus iam durus et ferreus carmine xxxxviiii haud scio an persoluerit :

Disertissime Romuli nepotum,
quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
quotque post aliis erunt in annis,
gratias tibi maximas Catullus
agit, pessimus omnium poeta
quanto tu optimus omnium patronus.

Helbigius (l. c. p. 1219 not.) non inscite adnotat, Catullum uerbis *pessimus omnium poeta* se ipsum propter laudes quibus olim mulierem indignam celebrauerit castigare uideri. ceterum Catullum ipsum orationem Ciceronis audiuisse ea de caussa negauimus, quia fieri non potuit ut ille, quem post uernum a. 698/56 aequinoctium e Bithynia profectum prius quam Romam scimus Galliam patriam prouinciam uisisse, mense illius anni Martio uel initio mensis Aprilis, quo tempore Cicero Caelium defendit, (cf. supra p. 63), iam Romae esset. eodem fere tempore poeta non tam iratus et desperatione oppressus (ut carmine LXXVII *Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amice*) quam animo aequo ac sedato carmen LVIII ad eundem M. Caelium Rufum misit, quem, ut supra p. 86 uidimus, olim aemulum suum acerbis contumeliis persecutus erat. en habes totum :

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
illa Lesbia quam Catullus unam
plus quam se atque suos amauit omnes,

Digitized by Google

nunc in quadriuiis et angiportis
glubit magnanimos Remi nepotes.

restat ut carmen xi *Furi et Aureli comites Catulli* perpendamus, quod carminum ad Lesbiae amorem spectantium omnium ultimum a poeta conpositum esse credimus. Catullus ad Furium et Aurelium quosdam, de quibus in capite sexto disputabimus, conuersus

pauca, inquit, *nuntiate meae puellae*
non bona dicta.
cum suis uiuat ualeatque moechis,
quos simul conplexa tenet trecentos,
nullum amans uere, sed identidem omnium
ilia rumpens.
nec meum respectet ut ante amorem,
qui illius culpa cecidit uelut prati
ultimi flos, praetereunte postquam
tactus aratro est.

Si de tempore huius carminis quaeritur, satis ex tertia stropha intellegitur, non ante aestatem a. 699/55 id scriptum esse posse, cum in ea Caesaris expeditiones trans Rhenum et trans Oceanum in Britanniam factae aperte commemorentur. praeterea Mommsenus (HR III 315) scite adnotauit, in stropha altera e numero gentium barbararum et longinquarum Indos Hyrcanos Arabes Sacas Parthos Aegyptios ea de caussa commemoratos esse, quod a. 699/55 et M. Crassus et A. Gabinius expeditiones magnas et spem insatiabilem mouentes in Orientem omnibus uiribus pararent. carmen undecimum ultimum esse quod de Lesbia Catullus scripsit, si

Digitized by Google

temporis rationes omittimus, praeterea probabile fit, si ad mandata Furio et Aurelio a poeta data respicimus. quid enim est quod contineant? Catullus in perpetuum Lesbiae amorem renuntiat. at cur poeta id quod, ut uidimus, iam pridem fecit iterum facere uoluit? cur Furio et Aurelio, hominibus a se despectis, mandauit illa? ut breuiter dicam, Clodia tum Catullum per nescio quos precibus adiisse uidetur, ut eius gratiam et amorem diu intermissum reciperaret: sed a poeta, qui temporum priorum doloribus prudentior et cautior factus erat, nihil nisi repulsam acerbam reportauit, quam Catullus ut contemptum suum magis aperiret per miserum illorum homunculorum par finxit illi se significasse.

Haec fere habuimus quae de carminibus ad Catulli et Lesbiae amores referendis exponeremus. reliquum est ut annos adcuratius definiamus per quos ille amor durauit. praecipue de anno quo Catullus Clodiam amare coepit et de anno quo foedus turpe interrupit diligenter inquirendum est. et de initio quidem amoris, ut iam supra p. 71 diximus, scimus Clodiam, cum Catullum amare inciperet, iam uxorem Q. Metelli fuisse et hunc Metellum etiam tum uixisse, cum iam discordia quaedam quamuis parua inter amantes extitisset (cf. supra p. 80). cum uero quando Metellus Clodiam duxerit ignoremus (hoc solum constat ambos a. 691/63 coniuges fuisse) terminus nos fugit ante quem Catullus Clodiam amasse non potest. contra inde quod Metellus anno 695/59 *)

*) Post mensem Aprilem huius anni Metellum mortuum esse inde manifestum est quod inter senatores fuit qui in legem de

mortuus est unum concludere licet, iam aliquantum temporis ante hunc annum Catullum Lesbiae amore usum esse. sed hoc parum nos iuuat. itaque uideamus quid uiri docti de initio amoris statuerint. Helbigius (l. c. p. 1218) Catullum sumit inde ab anno 695/59 Clodiam amauisse, contra Iungclaussenus (l. c. p. 13) coniecit annum 692/62 primum amoris illius fuisse. neuter adcuratius sententiam suam probauit : uterque, ut in plano est, magis arbitrium quoddam liberius quam certas rationes secutus est, quod non ideo dictum uolo ut uirorum illorum diligentiae aliquid detraham, sed ut eorum qui legent animos de difficultate huius quaestionis aduertam, in qua dirimenda argumentis idoneis destituimur. etenim de initiis amoris illius nullas nisi ex eius quasi decursu et exitu coniecturas facere licet. omnibus igitur quae huc facere uidentur respectis primum Helbigii sententia recusanda est. modo enim diximus ex carmine LXXXIII adparere uiuo etiam tum Q. Metello inter amantes inimicitias quasdam iam extitisse. itaque Catullum cum ante discidium illud per aliquantum temporis amore non turbato Clodiae usum esse manifestum sit, anno Q. Metelli ultimo is Clodiam amare coepisse non potest. melius Iungclaussenus rem gessisse uidetur, cuius opinioni uix habeo quod opponam. praecipuus in hac quaestione usus est eorum quae supra p. 66 de tempore quo Caelius Clodiam amauit disseruimus. bonis enim argumentis nobis probasse uidemur Caelium

---

agro Campano diuidendo Iuliam iurauerunt (cf. Drumanni HR III 205).

Clodiam inde ab extremo anno 695/59 usque ad medium 697/57 amauisse. inde non nulla satis grauia conliguntur, primum ante 695/59 Catullum coepisse Clodiam amare: nam ex Catullo scimus (cf. supra p. 86) Caelium poetae Clodiam abalienauisse. deinde carmina ea in quibus de Caelio aemulo poeta queritur anno 695/59 uel duobus sequentibus, contra ea in quibus laudes Lesbiae non dum perfidae celebrantur ante terminum illum scripta esse. at quanto temporis ante terminum illum? de hac re nisi incerta conici non possunt. Iungclaussenus carmina quae amorem inter Catullum et Clodiam etiam uigentem testantur triennio quod ab a. 692/62 usque ad 694/60 fuit attribuit: sed uirum doctissimum fateor mihi nimium largiri uideri. consideres uelim quam pauca Catulli carmina sunt quae amantium concordiam et unanimitatem spirant, insuper inde ab initio amoris Catullum a Lesbia, id quod certissimum est (cf. supra p. 69), turpiter deceptum esse: deinde uide quaeso iam anno 694/60, quo discidium inter amantes non dum ortum erat, Ciceronem P. Clodio incestum cum sorore quadrantaria factum in conloquio exprobrauisse (cf. ad Att. II 1 5). itaque triennium maius temporis spatium duxerim quam ut Lesbia tantisper aut a malitia et nequitia decedere aut Catullum flagitia sua celare potuerit. ergo si carmina illa quae amorem non dum turbatum testantur biennio a. 693/61 et 694/60 adsignauero, propius quam Iungclaussenum arbitror ad uerum me accessisse. neque quicquam in libro Catulliano inest quo haec nostra sententia refellatur. quamquam in carmine LXVIIIb, quod iam supra (p. 78) in confinio amoris integri et discidii,

Digitized by Google

hoc est anno 694/60 extremo, conpositum esse docuimus, poeta initia sui amoris narrauit, tamen ne uerbum quidem addidit quo per temporis spatium biennio longius amoris illius felicitatem durasse putare cogeremur. credimus igitur a. 693/61 Clodiam a Catullo amari coeptam esse : quo anno Catullus annum uigesimum sextum Clodia annum aetatis trigesimum tertium agebant. fortasse quispiam moleste ferens Catullum Clodiam septem annis natu se maiorem amauisse inde scrupulum de ueritate nostrae de Lesbia, quam eandem ac Clodiam quadrantariam fuisse contendimus, sententiae mouerit. quem facillime remouere licet simplicissimo argumento adhibito. ex Ciceronis Caeliana constat Clodiam per tempus aliquod a M. Caelio Rufo amatam esse : et hic Caelius duodecim annis Clodia natu minor fuit, cum ante d. v kal. Iun. anni 672/82 natus esset (cf. Plin. HN vii 50).

Iam quaerendum est quando Catullus Clodiam amare desierit et deseruerit. Helbigius et Iungclaussenus in eo consentiunt quod quo tempore Cicero pro Caelio dixerit Catullum iam a consuetudine Clodiae recessisse statuunt : cui sententiae utique astipulandum est. ut adcuratius inuestigemus, nos, cum Cicero Caelium uere a. 698/56 Catullo non dum e Bithynia reuerso defenderit et anno 697/57 Catullus in Bithynia commoratus sit, ad annum 696/58 ducimur, quo Catullus Clodiae amorem renuntiasse putandus sit : qui annus idem est quo amor Caelii et Clodiae maxime arsit. qua re quisque intellegit quam egregie sententiae illi succurratur. praeterea haec digna sunt quae perpendantur.

Digitized by Google

Clodia anno 698/56 adeo se abiecerat et in tantam omnium contemptionem uenerat ut eam etiam tum amatam esse a Catullo nemo credere possit. a. d. VIII id. Febr. illius anni in publico iudicio, cum Milo a P. Clodio de ui accusaretur, a Milonis adseclis 'uersus obscaenissimi' in Clodium et Clodiam dicti sunt (cf. Cic. ad Q. fr. II 3 2). paullo post M. Tullius, Caelii patronus, item in publico iudicio Clodiae mores corruptissimos libidines insanas flagitia et scelera grauissima et turpissima quam acerbissime castigauit et contemptui ac derisui omnium tradidit : de illius mulierculae in foro publico ante omnium quibus audire lubuit aures totiens uexatae, a Caelio Rufo olim Catulli ipsius aemulo iam relictae, flagitiis omnium generum conspurcatae, de illius mulierculae dico amore Catullum anno 698/56 et sequentibus nec iam sperasse nec de eius perfidia questum esse manifestum est. quae cum ita sint, carmen XI, quod anno 699/55 scriptum est, uetamur ita intellegere ut eo Catullus primum Clodiae amorem renuntiet, sed ita explicare iubemur ut supra p. 129 fecimus. anno igitur 696/58, ut paullo ante significabamus, Catullus Clodiam deseruit : cui sententiae praesidii insuper aliquid eo accedit ut in carminibus ad iter Bithynicum spectantibus Lesbiae nulla omnino mentio facta sit. probabile igitur nobis uisum est statuere Catullum Clodiam amare anno 693/61 coepisse et a. 696/58 desiisse. iam restat ut inquiramus quo modo per quadriennium illud uicissitudines amoris illius uariae sint distribuendae. de hac quoque re parum ex libro Catulliano cognoscere licet. adnotare sufficiat supra nos annis 693/61 et 694/60

Digitized by Google

amores non dum turbatos ascripsisse. contra annis 695/59 et 696/58 omnia illa carmina attribuenda sunt in quibus Catullus aut de Lesbia perfida aut de aemulis amoris sui scripsit : qua in re explicari nequit quo ordine Catullus aemulos istos persecutus sit, hoc est quo modo in Lesbia amanda Clodii Gellii Caelii Egnatii alii se exceperint. tamen si quid ariolari licet, equidem, cum anno 694/60 iam rumor de Clodii incestu sororio esset, censuerim carmen LXXVIIII in limen alterius generis carminum ad Lesbiam spectantium conlocandum esse. deinde ueri simillimum est carmina in Caelium anno 696/58 scripta esse, tum carmina Gelliana inter LXXVIIII et Caeliana conlocauerim, denique qui in Egnatium coniecti sunt uersus, cum Lesbiam maximum in modum degenerem prodant, paullo ante quam mulierem foedam deseruit Catullus scripsit. sicut Catullus per quadriennium consuetudine quadam cum Lesbia coniunctus est, ita Tibullus Deliae amore item per quadriennium usus est et Propertius ad Cynthiam, quae ei, ut Lesbia Catullo, aetate praecessit, (cf. Hertzbergii quaest. Prop. p. 17. 38) cecinit

quinque tibi potui seruire fideliter annos.

Iam omnia congessimus quae ad Lesbiae et Catulli amores iudicandos momenti alicuius sunt. his subtiliter consideratis uix erit qui uituperet quod nos sententiae iam dudum propositae et plurimis uirorum doctissimorum adprobatae accessimus. tamen hoc loco argumenta quibus freti Catulli Lesbiam eandem atque Clodiam quadrantariam fuisse contendimus per

Digitized by Google

totam nostram de Lesbia disquisitionem dispersa placet quam breuissime conplecti. Ouidius igitur testis est Lesbiae nomen puellae a Catullo amatae falsum fuisse: Appuleius uerum nomen narrat fuisse Clodiam. Clodiam quadrantariam Cicero pro Caelio narrat cum M. Caelio Rufo rem per tempus aliquod habuisse: Lesbiam Catulli scimus ipsam quoque cum Caelio Rufo moechatam esse. Clodiam quadrantariam cum Publio fratre incestum fecisse Cicero locis permultis commemorat: Catullus dicit a Lesbia Lesbium sibi anteponi. si Lesbiae nomen uerum est Clodia, uerum Lesbii nomen Clodius fuerit necesse est: Clodius igitur a Lesbia Catullo anteponitur. uides a Catullo P. Clodium sororis amatorem significari. Cicero in Caeliana uitam quadrantariae inquinatissimam et mores corruptissimos descripsit: quae si conparantur cum eis quae Catullus in Lesbia uituperauit, plane eadem utrumque et Ciceronem et Catullum reprehendisse nemo infitiabitur. scimus Lesbiam, cum a Catullo amaretur, iam uiro alicui nuptam fuisse: quod quo tempore fuit, Clodia etiam quadrantaria uiro iam nupserat, Q. Metello Celeri. aetas etiam amantium optime conspirat. denique Clodia quadrantaria nobili genere orta fuit. nobili genere etiam Catulli Lesbiam ortam esse omnino nihil est quod dissuadeat, immo id eo commendatur quod Allius, uir sine dubio nobilis, domum suam amantibus praebuit quo conuenirent: quare simul sententia eorum refutatur qui meretriculam fuisse Lesbiam inepte credunt.

Digitized by Google

VI

Pertractauimus amorem Catulli et Clodiae, qui quamquam ardentissimus erat, tamen non unicus fuit quo poeta per uitam tenebatur. nam uestigia etiam aliorum amorum in libro Catulliano reperiuntur, sed tam leuia illa sunt ut nullo modo cum Lesbiae foedere conparari possint. Catullus ipse ea his uersibus significauit, quibus iam supra usi sumus, cf. LXVIII[a] 15

tempore quo primum uestis mihi tradita purast,
iucundum cum aetas florida uer ageret,
multa satis lusi : non est dea nescia nostri
quae dulcem curis miscet amaritiem.

et Ouidius tristium II 427 haec cecinit

sic sua lasciuo cantata est saepe Catullo
femina, cui falsum Lesbia nomen erat,
nec contentus ea multos uulgauit amores,
in quibus ipse suum fassus adulteriumst.

qui locus cum ab aliis tum a Bernhardio in litterarum Romanarum historiae p. 515 perperam intellectus est.

Digitized by Google

qui cum dubitaret num Catullus in libro qualem habemus multos amores praeter Lesbiae amorem uulgaret, Ouidium ad carmina amatoria poetae Veronensis hodie amissa respexisse coniecit. sed dum modo uersus ille *in quibus ipse suum fassus adulteriumst* recte intellegatur, Ouidii uerba ex eis Catulli carminibus quae manserunt satis commode explicari possunt. nam cum Catulli carmina amatoria ad Ipsithillam ad Ametinam ad Aufilenam ad Iuuentium scripta nobis seruata sint, non est quod ad amissa carmina Catulli prouocemus. adulterium uero Catullus, ut ex Ouidii mente loquar, eo commisit, quod, cum Lesbiam amaret, aliarum etiam feminarum amore usus est. nam Lesbia, cum a Catullo prae ceteris feminis eximium in modum celebrata praecipua eius amica haberetur (id quod ex locis scriptorum quos p. 53 congessi manifestum est), Ouidio quasi legitimi, ut ita dicam, amores Veronensis poetae fuisse uidebatur. ceterum uix est quod Ouidium commemoremus, cum de adulterio scriberet, tempora quibus singularum feminarum amorem Catullus petiit et eorum ordinem neglexisse atque de Catullo falsa rettulisse. nam Catullus numquam (hoc confidenter aio) uno eodemque tempore amorem duarum nedum conplurium puellarum quaesiuit, id quod e disquisitionibus nostris quae iam secuntur luculenter adparebit.

Ex uersibus igitur quos excripsimus carminis duodeseptuagesimi Catulliani poetam cognoscitur inde ab adulescentia ineunte (anno enim aetatis fere sexto decimo togam uirilem pueri adsumere solebant) amoribus uacasse. praeterea ex eis quae de tempore quo poeta

Digitized by Google

Lesbiam amabat supra docuimus, inter has amorum Catullianorum primitias et initia amoris illius primarii, quo Lesbiam deperiit Catullus, decennium interiacuisse apertum est. cuius rei mentio cum iniecta sit, facere non possumus quin aliquid quod nostris de temporibus amorum et de aetate Catulli sententiis quispiam fortasse opponere uelit, praeoccupando refellamus. supra (p. 46) diximus Lachmannum Hauptium Helbigium alios Hieronymi conputatione anni Catulli natalis spreta Catullum decennio post annum ab Hieronymo indicatum, hoc est a. 678/76 natum esse censere. itaque ex illorum uirorum doctorum sententia Catullus anno 693/61, quo Lesbiam amare coepit, annum aetatis decimum quintum egit, hoc est eum ipsum aut proximum annum quo togam uirilem sumpsit. iam cum carmen in quo uersus illi leguntur a. 696/58 scriptum sit, uersibus illis initia amoris Lesbiae indicata putare et inde argumentum in gratiam conputationis Lachmannianae aliquis quaerere possit. quod qui susciperet, speciosum quidem sed nihilo minus nitore fallaci fucatum argumentum adhiberet. nam hac ratione conprobata Catullus anno 696/58, cum non plures quam duodeuiginti annos haberet, temporis eius 'quo uer iucundum aetas sua florida egisset', hoc est quo annos quindecim natus esset, memoriam tristi et fracto animo recoleret. quod quam parum adulescentulum non dum uicenarium deceat in promptu est : ne dicam in carmine illo poetam temporis aliquanto remotioris memoriam reuocare potius uoluisse quam quae triennii satis modico interuallo a rebus praesentibus distarent animo repetere. quid quod ridi-

Digitized by Google

culum esset putare Catullum duodeuiginti annos natum de uere aetatis suae olim iam praeterito questum esse. contra uir undetriginta annos natus, qualem nos a. 696/58 Catullum fuisse adfirmamus, merito illud queri potuit. neque neglegendum est nos, cum illam sententiam explicaremus, omnia in auxilium aduocasse quae ei quodam modo fauere uideri poterant. seiunximus enim carmen LXVIII[a] a carmine LXVIII[b] : qua re uersus illos, unde disputatio nostra profecta est, extremis Catulli et Lesbiae amoribus attribuere licet : at uulgarem cum Hauptio et Iungclausseno sententiam secuturis nobis carmen LXVIII totum ad tempus quo amor ille uix turbatus erat remouendum est : qua re difficultates quibus sententia illa laborat quam maxime augentur. itaque omnibus rebus perpensis et consideratis facile intellegis non solum opinionem quam modo refutare studuimus, sed etiam totam illam de Catulli anno natali decennio promouendo sententiam, cuius caussam primam et summam iam supra (p. 47) euertimus, omnino esse reiciendam. nam adulescentulum uix puberem non dum uicenarium carmina illa ad Lesbiam egregia scripsisse, quae ut carmen VIII et LXXVI animi uirilis testes sunt locupletissimi, nullo modo credi potest. denique Lesbia aetate Catullo minimum duodeuiginti annis antecederet conputatione Lachmanni adprobata : qua re sola, ut Iungclaussenus recte adnotauit, ratio illa satis superque dubia fit.

Iam ut ad propositum reuertamur, uideamus quos amores praeter principem illum in libro Catulli deprehendamus. huc carmina ad Ipsithillam ad Ametinam ad Aufilenam puellas et ad Iuuentium puerum scripta

Digitized by Google

spectant. de Ipsithillae quidem et Ametinae siue quibus nominibus eas nominare malis amore uix dicere licet. erant enim meretriculae illae, ad quarum priorem Catullus libidine uenerea pruriens nescio quo tempore et loco carmen XXXII *Amabo mea dulcis Ipsithilla* misit haec haud obscure ab ea petiturus

domi maneas paresque nobis
nouem continuas fututiones.

alteram Ametinam in duobus carminibus Catullus male tractat XXXXI *Ametina puella defututa* et XXXXIII *Salue nec minimo puella naso.* de caussis utriusque carminis de temporibus et aliis rebus quae cum his cohaerent haec statuenda sunt. cum Catullus in prouincia patria Transpadana commoratus (cf. XXXXIII 6) a meretricula quadam, quacum Mamurra Formianus consuescere solebat, concubitum petiisset, haec magnum pretium decem milium sestertium poposcit. quod cum inpendere nollet, poeta de spe sua deceptus in meretriculam carmina illa duo scripsit, quorum in altero meretricem 'defututam' adfirmauit, cum tanto pretio se corpus inliberale publicare posse opinaretur, dementem atque insanam esse habendam. in altero autem carmine irae indulgens et repulsam ulturus Catullus puellam, cuius pulcritudo sine dubio inpulerat ut cum ea concumbere uellet, omni uenustatis laude priuare studet.

Salue, nec minimo puella naso (cf. XXXXI 3)
nec bello pede nec nigris ocellis
nec longis digitis nec ore sicco
nec sane nimis elegante lingua

Digitized by Google

decoctoris amica Formiani.
· *ten prouincia narrat esse bellam?*
tecum Lesbia nostra conparatur?
o saeclum insipiens et infacetum.

quaeritur quo tempore illud carminum par scriptum sit. Mamurra igitur, decoctor Formianus (cf. xxviii 3 lvii 4) cum Ametina, puella illa Transpadana, rem habuerat uel habebat. sed quando habebat? Mamurram scimus Iulii Caesaris in Gallia Cisalpina, cuius pars regio Transpadana fuit, praefectum fabrum fuisse (Plinii hist. natur. xxxvi 6 48): prompta igitur coniectura est illis temporibus quibus munere illo functus esset Mamurram cum Ametina commercium quoddam instituisse: nihil autem obstat quo minus simul cum Caesare mensis Aprilis initio a. 696/58 Mamurram in prouinciam profectum esse censeamus. atque eo ipso anno 696/58 Catullus carmina illa scripsisse uidetur. nam post annum hunc Lesbiam ita ut in carmine xxxxiii fecit poeta uix commemorauisset opinor, etsi in hoc carmine probe intellego non tam de Lesbiae moribus, quos tam saepe poeta reprehendit, quam de pulcritudine nulli dissimulanda sermonem esse. sed anni 696/58 tempora amoribus poetae tristia ac dubia, quibus Catullus odio et amore huc illuc iactaretur, uidentur postulare ut eis illa carmina bina adsignemus: ut intellegatur qua ratione poeta non iam nimis Lesbiae fidus modo ab Ametina concubitum sibi expetere modo muliere hac spreta amicae ueteris memoriam et exemplum in animum reuocare et illi opponere potuerit.

Digitized by Google

Iam carminibus quae ad Aufilenam uel de ea Catullus scripsit explicandis operam nauemus. huc autem spectare puto LXXXII *Quinti, si tibi uis oculos debere Catullum* C *Caelius Aufilenum et Quintius Aufilenam* CX *Aufilena, bonae semper laudantur amicae* CXI *Aufilena, uiro contentas uiuere solo*, quae si diligenter examinantur, haec statui posse uidentur. Catullus Aufilenam quandam, mulierem nuptam (cf. CXI 2) Veronensem (cf. C 2) amauit. sed quamquam ab initio redamatus mox tamen Catullus spretus est ab Aufilena, quippe quae Quintio nescio cui magis fauere inciperet. haec quae dixi clariora fient rebus singulis consideratis. in carmine CX Catullus Aufilenam grauiter increpans, quod se uoluptatibus uenereis sibi promissis et iam antea muneribus conpensatis (cf. uers. 4 *quod nec das et fers saepe, facis facinus*) inprobe defraudasset, peiorem quam prostibulum auarissimum iudicauit. atque nihilo lenius in carmine CXI Aufilenae cum patruo ipsius commissum incestum exprobrauit. in carmine LXXXII Quintium poeta his inplorauit uersibus ne sibi Aufilenam eriperet,

Quinti, si tibi uis oculos debere Catullum
aut aliud si quid carius est oculis,
eripere ei noli multo quod carius illi
est oculis seu quid carius est oculis.

quae sententia carmine centesimo adcuratius inspecto ualde commendatur. in quo Catullus, postea quam commemorauit Caelium Aufileni et Quintium Aufilenae amore deperire, se ait amori Caelii quam maxime fauere et optima quaeque adprecari officia remuneraturum ea

quae iuuenis ille sibi Aufilenae amore incenso praestiterit. quo ex carmine Quintium re uera Aufilenam Catullo abalienauisse sole clarius elucet. quo tempore quattuor illa carmina scripserit poeta ad Veronam spectantia, si rem per se spectas, incertum est. ualde tamen probabile ducam, si quis ea temporibus adulescentiae primis attribuat quibus Catullus Veronae uixit neque dum Romae Lesbiam amare coeperat. quae si uere et ad persuadendum probabiliter disputauimus, poeta, cum ad aetatem iuuenilem respiciens in carmine LXVIII uersus illos

multa satis lusi : non est dea nescia nostri
quae dulcem curis miscet amaritiem

scriberet, eorum quae cum Aufilena olim luserat nescio an memor fuerit : praesertim cum amore illo satis poetam arsisse ex carmine C 7 adpareat

cum uesana meas torreret flamma medullas.

Ultimo loco carmina quae ad Iuuentium scripsit Catullus tractabimus, quibuscum carmina ad Furium et Aurelium scripta coniungenda sunt. sunt uero haec ad Iuuentium ipsum XXIIII *O qui flosculus es Iuuentiorum* XXXXVIII *Mellitos oculos tuos Iuuenti* LXXXI *Nemone in tanto potuit populo esse Iuuenti* LXXXXVIIII *Surripui tibi dum ludis mellite Iuuenti.* praeterea ad Furium et Aurelium homines nobis plane ignotos (nam alterum pro M. Furio Bibaculo cum Parthenio Statio Vossio alterum pro L. Aurelio Cotta anni 684/70 praetore cum Statio habendum esse hodie nemo opinabitur) carmina XV

Digitized by Google

Commendo tibi me ac meos amores XVI *Pedicabo ego uos et inrumabo* XXI *Aureli pater esuritionum* XXIII *Furi, cui neque seruus est neque arca* XXVI *Furi uilula uostra non ad Austri* denique ad homines eosdem carmen XI scriptum est, de quo iam supra (p. 128) non nulla exposuimus. ex carminibus ad Iuuentium scriptis (nec minus ex carmine LVI *O rem ridiculam, Cato, et iocosam*, in quo stuprum obscaenissimum a se ipso cum masculo perpetratum Catoni Catullus ut de iocosa et lepida re glorians rettulit) uidemus Catullum a crimine Veneris monstruosae non magis quam Horatium Ligurini et Lycisci amatorem uel Tibullum qui Marathi pueri amore deperiit liberari posse. quorum exemplo libido illa nefanda etiam si non probari tamen quodam modo in Catullo excusari potest. nam cum nec Horatius, morum satis seuerus magister, nec Tibullus, poeta omnium castissimus et adfectuum suauissimorum interpres, illis rei publicae Romanae temporibus corruptissimis ab illa turpitudine integros et intactos se seruare sustinuerint, quis in Catullo, qui natura ad animi et corporis cupiditates et libidines ferocior erat et intemperantior, illud uitium, cui aequalium eius innumerabiles indulgebant, aequiore animo non ferat?

Catullus igitur pulcritudine Iuuentii captus maximo pueri osculandi desiderio arsit (cf. carmen XXXXVIII). quo incensus cum puero osculum surripuisset, Iuuentius poetae amori amore non respondens ad modum durum se gessit: qua de re querimonias flebiles in carmine LXXXXVIIII Catullus effundit:

infesto miserum me tradere Amori
non cessasti omnique excruciare modo,
ut mi ex ambrosia mutatum iam foret illud
sauiolum tristi tristius helleboro.
quam quoniam poenam misero proponis amori,
numquam iam posthac basia surripiam.

Iuuentius enim Catullo Furium et Aurelium anteposuit, qua de re poeta maxime iratus, ut solebat, acerbissimos iambos in illud amicorum et amatorum par coniecit. puerum amatum a Furii amoribus auocare et aemulum Iuuentio inuisum reddere Catullus carmine xxIIII studuit.

O qui flosculus es Iuuentiorum,
non horum modo, sed quot aut fuerunt
aut posthac aliis erunt in annis,
mallem diuitias Midae dedisses
isti quoi neque seruus est neque arca,
quam sic te sineres ab illo amari.
'*qui? non est homo bellus?*' *inquies. est :*
sed bello huic neque seruus est neque arca.
hoc tu quam lubet abice eleuaque :
nec seruum tamen ille habet neque arcam.

Homo ille a poeta, quia ei neque seruus neque arca esset, derisus Furius fuit, cuius nomen modo nominauimus : id quod ex carmine xxIII clarissime adparet, in quo Furii,

cui neque seruus est neque arca
nec cimex neque araneus neque ignis,

inopia sordida et mendicitas famelica acerbissime exagi-

Digitized by Google

tatur. ad Aurelium, qui una cum Furio, uiro sibi amico, in Iuuentio amorem exercebat, duobus carminibus XV et XXI Catullus conuertitur, quorum in utroque contumeliosa minatus cauere sibi iubet Aurelium, 'patrem' ut salse poeta ait 'esuritionum', ne Iuuentium corrumpat. praeterea in Furium et Aurelium simul carminibus XVI et XI partim inuectus est, partim ambos derisit. in carmine enim XVI Aurelio et Furio minatus est se, cum illi propter carmina amatoria nimis leuia sua se 'male marem' et 'parum pudicum' esse uituperauissent, poenas grauissimas ab eis petiturum et se optime marem esse probaturum. cuius carminis caussas et originem si diuinando adsequi licet, Aurelius et Furius lacessiti uersibus contumeliarum plenis quos poeta de Iuuentio sibi abalienato iratus in illos coniecerat, nescio an petulantiam et inpudicitiam et mollitiem carminum Catullianorum publice eluserint: qua inrisione ille motus hanc uersiculorum suorum defensionem scripsit. denique quaeritur quo consilio Catullus in carmine XI illa 'non bona dicta' Clodiae deferenda Furio et Aurelio mandauerit. qua de re postea quam priorum saeculorum interpretes magis mire quam prudenter iudicauerunt, primus A. F. Naekius merito ea de caussa a M. Hauptio (obseru. critic. p. 24) laudatus in indice scholarum Bonnensium per hiemem a. 1823 habitarum rectam interpretandi uiam ingressus est. intellexit enim uir ille adcuratissimi iudicii Catullum carminis XI exordio amplo et magnifico (quo illorum famelicorum fidelitatem et obseruantiam, qua inpulsos certo scit se quoquouersus indefesse comitaturos esse, laudibus magnis extollere

Digitized by Google

uidetur) per ironiam usum esse. *illorum enim,* ut Naekii ipsius uerba (p. IIII) adponam, *hominum egentissimorum consuetudine Catullus per aliquod tempus usus est, sed ita ut parui semper eos aestimauerit et tractauerit neglegentius: at tum cum commisissent ob quod irasceretur, eos acerbitate insectatus est ea quae animum testatur iam ante acceptam iniuriam frigidum et nullo uerae beniuolentiae sensu commotum. cum his optime nostrum carmen conspirat, quo quod ubique terrarum Furium se atque Aurelium dicit 'comites' habiturum esse poeta, non est sincera uerae amicitiae conlaudatio, sed per hyperbolen castigat et perstringit inportunam istorum hominum adsiduitatem. atque talibus hominibus mandare istud ad puellam 'cum suis ualeat uiuatque moechis' decebat. non solemus enim tam inhumana mandare eis quos magni facimus.* haec Naekius. neque nos latet quidnam homines illi commiserint quo Catulli iram commouerunt. primum enim Iuuentium illi subduxerant, deinde eius carmina deriserant. illi igitur homunculi edaces quotiens in mensis Catulli lautis satiabantur, totiens beneficia in se conlata remuneraturi adsentatiunculis poetam sibi obligare temptabant, et se Catullo semper fidelissimos amicos fore neque umquam ab eo, etiam si ad remotissimas regiones proficisceretur, discessuros esse religiose, hoc est, ut uerbis Gelasimi Plautini utar, 'periuratiunculis parasiticis' adfirmabant. nihilo minus tamen Iuuentio, quem poeta amabat, insidiari eumque a Catullo abalienare non sunt ueriti. iam igitur is par nobile illud de perfidia ita acerbe perstringit ut ab initio carminis illa quae 'pater esuritionum' uterque, quotiens in mensa aliena pascebatur, de fidelitate

Digitized by Google

sua et uoluntate propensa pollicitus erat quasi uera accipere se simulet et id agere uideatur ut iam nescio quid magni et periculi plenum, qualia tum, cum in regionibus inperii Romani et diuersissimis et remotissimis bella aut gererentur aut pararentur, cupientibus adfatim prostabant, ab amicis illis quaecumque secum adire paratissimis expostulet : subito uero poeta ueram animi sententiam expromens non tam ad rem magnam et honorificam, cui administrandae homunculi isti nec idonei nec digni erant, eos euocat quam eis nuntium paene ignominiosum Clodiae, mulieri inpudentissimae, deferendum tradit : quasi mulieri perfidae per perfidos homines respondere uoluerit. Reliquum est ut inuestigemus quo tempore Catullus carmina ad Iuuentium et in Furium et Aurelium scripserit. iam si obiter rem consideramus, ueri simillimum esse uidetur Iuuentium a Catullo post Lesbiam simili ratione atque Marathum post Deliam a Tibullo amatum esse, ideoque amorem hunc post iter Bithynicum fuisse et fere in annum 698/56 incidisse. haec adcuratius etiam demonstrari possunt, dum modo teneamus, id quod omnino tenendum est, et carmina quae in Furium et Aurelium et carmina quae in Iuuentium Catullus scripsit uno eodemque tempore scripta esse : nam ex carmine XVI (in quo a Furio et Aurelio, quoniam carminis illius *Viuamus, mea Lesbia, atque amemus* caussa contumeliosa de se dixissent, poenas grauissimas se repetiturum esse Catullus minatus est) Iuuentium a Catullo post Lesbiam amatum esse adparet : namque carmen illud V Catullus, cum Lesbiam amabat, scripsit : nec tamen quisquam putabit Catullum simul Lesbiam et Iu-

Digitized by Google

uentium deperiisse. sed firmissimum argumentum inde peti licet quód carmen xi, quo Catullus Furio et Aurelio turpia illa mandata Lesbiae a se dudum desertae deferenda cauillandi caussa tradidit, non ante aestatem anni 699/55 scriptum esse potest (cf. supra p. 128). non multum igitur falli possumus, si anno 698/56 uel sequenti Iuuentii amorem Catullum petiisse putamus.

Ab hac quaestione prius discedere non possum quam de carmine xxv coniecturam proposui. quod carmen quo obscurius est, eo facilius si quae audacius temptaui mihi condonanda esse censuerim. Catullus enim non solum in aemulorum par illud, Furium et Aurelium, acerbos iambos direxit, sed etiam ipsum Iuuentium insectatus est, cum ab eo sibi istos praeferri cognosceret. hi iambi carmine xxv *Cinaede Thalle mollior cuniculi capillo* continentur. quod poeta eo scripsit consilio ut, postea quam a Iuuentio amorem suum repudiante se recepit, res non nullas, quas Iuuentius de more scortorum rapax Catullo, dum eius consuetudine fruebatur, surripuerat, poenis terribilibus denuntiatis reposceret. conparandum igitur hoc in Iuuentium carmen cum carmine xxxxii, quo a Lesbia a se derelicta pugillares suos, quos illa retinuerat, quam uehementissime efflagitauit. praeter sensum aptissimum alia quoque sunt quibus nostra opinio firmatur. primum uersus priores carminis

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo
uel anseris medullula uel imula auricilla
uel pene languido senis situque araneoso

in puerum delicatum, qualis Iuuentius fuit, adcurate

Digitized by Google

quadrant : in primis uerbo 'cinaedi', quo illum Catullus adloquitur, sententia nostra ualde adiuuatur. Iuuentium enim, quamuis e nobili gente oriundus esset (cf. xxiii 1

O qui flosculus es Iuuentiorum,
non horum modo, sed quot aut fuerunt
aut posthac aliis erunt in annis),

tamen Furii et Aurelii libidini nefandae se prostituisse in aperto est. ne quem autem nobilitas Iuuentii offendat, Ciceronis ad Atticum i 16 5 uerba adferre lubet haec, *etiam noctes certarum mulierum atque adulescentulorum nobilium introductiones non nullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt.* etiam tempus quo necessario Catullus carmen xxv scripsit, cum tempore cui antea aliis caussis moti cetera de Iuuentio carmina attribuimus, egregie congruit. iudicabamus enim non ante quam e Bithynia redierit Catullum Iuuentium amasse. iam uide quaeso quam pulcre opinioni huic carmen xxv adcommodetur : etenim ex uersu septimo, ubi 'catagraphi Thyni' commemorantur, carmen post iter Bithynicum scriptum esse adparet, quando quidem, quidlibet de 'catagraphis' illis iudicamus, tamen eos ex Bithynia a Catullo reportatos esse dubitari non potest. at quid de nominis discrimine fiet, cum is in quem Catullus uersus hos fecit non tam Iuuentius quam Thallus nominetur ? Thalli nomen Graecum esse quiuis uidet. quid uero hoc loco Graecum nomen sibi uult ? num Thallus puer natione Graecus fuit ? parum hoc ueri simile. ut breuiter quae sentio dicam, Thalli nomen est fictum ut Lesbii et Lesbiae nomina, de quibus iam supra diximus : id quod Teuffelius quoque l. c.

Digitized by Google

p. 48 adgnouit. sed quo iure Catullus Thalli nomen ad Iuuentium designandum usurpare potuit? res satis aperta est. etenim Graeco Thalli nomine Catullus uertit Latinum Iuuentii. Iuuentius, si sensum spectamus, est 'uir iuuenis et aetate florens', eandem uim *Θάλλος* quoque habet: est enim is 'qui aetate uiret et floret', est quasi 'Florus', sicuti nomini 'Florae' Graecum *Θάλλουσα* respondet. itaque nomen hoc e Latino translatum cum Telephi in Horatii carminum I 13 III 19 IIII 11 nomine, quod e Latino 'Proculei' (cf. Horatii carminum II 2 5) conuersum esse Bambergerus in Schneidewini philologi I 316 demonstrauit (cf. etiam Iungclaussenus l. c. p. 26), conparari potest et cum 'Ianthidos' nomine, quo Martialis VII 14 5 nomen 'Violantillae', uxoris Stellae poetae, conuertit: quae femina a Statio siluarum I 2 197 ad nomen mariti Violantillae respiciente 'Asteris' nominatur (cf. Huschkii analectorum litterar. p. 303). at haud scio an Catullus alia insuper caussa motus sit ut Iuuentium Thalli nomine designaret. quod ueri simile mihi esse uidetur, dum gentis Iuuentiae cognomen 'Talnae' reputo frequentissimum fuisse. fortasse Catullianus quoque Iuuentius ille hoc cognomen habuit: atque poeta ex eis nominibus Graecis quibus in Iuuentii nomine conuertendo uti licuit id elegit quod Talnae cognomini Iuuentii et e sono simillimum et e syllabarum mensura par erat. quod si uerum est, hoc nomen fictum uero eadem ratione adsimilauit Catullus atque ipse Tanusium Geminum Volusii nomine adpellauit et pro Formiano saltu Mamurrae 'Firmanum Mentulae saltum' nominauit: de quibus rebus infra plura dicenda erunt. denique simili artificio Horatius usus est,

Digitized by Google

cum ut Terentiam, uxorem Maecenatis, designaret, nominis quidem eius quod illa adoptione nacta erat mensuram seruaret, sed nominis noui sonum ad illius nomen gentile genuinum Licinianum aptaret: etenim Licymniam eam adpellauit (cf. Buttmanni mythologi I 343).

Supra cum carmina quae Catullus in Furium scripsit enumeraremus, carminis XXVI *Furi uillula uostra non ad Austri* non inmemores fuimus. hoc iam sumamus inlustrandum. cum quinque solum uersibus constet, totum hic excribere licet.

Furi, uillula uostra non ad austri
flatus opposita est neque ad fauoni
nec saeui boreae aut apeliotae,
uerum ad milia quindecim et ducentos:
o uentum horribilem atque pestilentem.

Si codicum lectionem *nostra* in uersu primo cum Scaligero Hotomanno Vossio Vulpio Silligio Lachmanno Hauptio Teuffelio probamus, carmen hoc eo tempore quo Catullus non dum cum Furio inimicitias inierat, scriptum (nam de alio quodam Furio cum Silligio cogitare aptum non est) et cum Hotomanno ita explicandum esse uidetur: *cum Furius, qui forte ad dies aliquot secedere in Catulli uillam cupiebat, ex eo quaesisset cui uento et caeli plagae esset opposita, festiue poeta ex ambiguitate uerbi 'opponendi', cui etiam sensus 'oppignerandi' inerat, iocum captauit ac respondit non ulli uentorum tempestati obiectam esse, sed pro sestertium quindecim milibus et ducentis pignori oppositam esse.* ita Hotomannus. cui explicationi qui opponunt Catullum sine dubio pudore

Digitized by Google

quodam deterritum esse ne uillam sibi esse oppigneratam pronuntiaret, ei Catulli ingenium plane non cognitum habent. neque enim Catullum satis copiosa et lauta re familiari usum, si uillulam suam ut se subita quadam difficultate nummaria liberaret in breue tempus pignori opposuit, hoc fateri minus puduit uel decuit quam in carmine XIII Fabullo, qui ipse ad poetam se inuitauerat, libere respondere

tui Catulli
plenus sacculus est aranearum.

praeterea summa ipsa quam Catullus deberet pro temporibus illis luxuriosissimis multo minor esset quam ut inde aliquis famae labem sibi contrahere posset. at tamen non defuerunt qui in uersu primo *uostra* legendum esse necessario censerent : inter quos Parthenium Muretum Lipsium Dousam Heinsium Doeringium Heysium Klotzium in emendat. Catullian. p. XIII et eum qui de hoc Klotzii libello in Zarnckii nunt. litt. a. 1860 p. 713 iudicauit nomino. cuius lectionis auctoritas si consideratur, Vossius lectionem *uostra* se in quibusdam libris inuenisse testatur et Dousa in praecidaneorum pro Catullo capite VIIII *placet* inquit *scripta potius lectio 'uostra', de qua benigne mihi gratiam fecit solens unico magis unicus Lipsius meus ex Romano opinor codice deprompta* : praeterea alia huius modi pariter incerta circumferuntur. sed quae in hac re librorum manu scriptorum condicio sit fere nihil nostra interest scire, cum, etiam si contra optimum quemque codicem *uostra* scribamus, haec mutatio fere nulla putanda sit : prae-

Digitized by Google

sertim cum in ipsis Catullianis codicibus confusio pronominum *nostri* et *uostri* et uocabulorum cognatorum ad modum frequens sit. qua de re conparari possunt hi loci : LXVI 87 pro *uostras* in codicibus Datano et L. Santenii *nostras* exaratum, LXI 209 pro *uostri* in eisdem libris *nostri* et XXXXII 4 pro *nostra uestra* scriptum est, LXVII 19 pro *nobis uobis* uterque habet et LXVII 7 Datanus, idem LXIIII 338 pro *uobis* praebet *nobis*, item LXVIII 151 *nostrum* pro *uestrum* habet et LXXXXVIIII 9 *uestro* pro *nostro*, sicuti in Laurentii Santenii codice LVIII 1 pro *nostra* legitur *uestra*. praeterea, ut alia omittam, Datanus LXVI 79 *uos* in *nox* LXI 104 *uolet* in *nolet*, cuius loco L. Santenii codex *nollet* offert, LXXXXV 2 *nonam* in *nouam* et liber Santenii LXVIII 81 *noui* in *uouit* (fuit enim in archetypo *nouei*) mutauit. itaque tota res, ut quiuis uidet, non tam codicum auctoritate quam iudicio solo dirimi potest.

Si *uostra*, ut par est, restituitur, carmen XXVI nescio an ita ortum sit ut, cum uillam suam ad fauonium seu quemuis alium leniter flantem uentum oppositam esse Furius gloriari soleret, Catullus, illius egestatis uexator indefessus, lusu illo uerborum acerbe usus diuitias quas ille habere simulabat uanissimas esse docuit. qua explicatione adprobata non erraueris, si uocabulo *uillulae* aliquid contemptionis inesse putabis, neque in eo quod uel summula parua HS XV milium et CC nummorum uillula ista ualde onerabatur, multum salis reconditum esse negabis. neque lectio *uostra* argumento quo Hotomannus usus est refelli potest. negauit enim ex usu sermonis Latini *uoster* pro *tuus* dici posse : quam rem etsi adcuratius persequi

Digitized by Google

nunc non licet, tamen ad Hotomanni opinionem ilico reiciendam hi loci ex Catullo ipso desumpti sufficient. cf. igitur xxxviiii 20

ut quo iste uester expolitior dens est,
hoc te amplius bibisse praedicet loti.

lxxi 3

aemulus iste tuus, qui uestrum exercet amorem.

lxxxxviiii 5

dum tibi me purgo nec possum fletibus ullis
tantillum uestrae demere saeuitiae.

neque tamen ut lectionem *uostra* tueamur ad hanc sermonis Latini proprietatem confugiendum nobis est. Klotzius enim apte adnotauit poetam, dum *uestram uillam* nominet, etiam Furii patrem et totam familiam simul significare uoluisse. quae sententia eo ualde commendatur quod poeta ipsam illam familiam quoque Furii carmine xxiii deridet :

Furei, cui neque seruus est neque arca . . .
uerum est et pater et nouerca, quorum
dentes uel silicem comesse possunt,
est pulcre tibi cum tuo parente
et cum coniuge lignea parentis.

simili ratione pronomen personae secundae pluralis possessiuum Catullus pro singulari lxviii 151 adhibuit

ne uestrum (h. e. *Allii* et *Alliorum*) *scabra tangat robigine nomen,*

quem ad locum uideas quae Vulpius et Santenius adnotauerunt. etiam lxiiii 158 et sequentes conferri possunt :

Digitized by Google

si tibi non cordi fuerant conubia nostra,
saeua quod horrebas prisci praecepta parentis,
at tamen in uestras potuisti ducere sedes,
quae tibi iucundo famularer serua labore
candida permulcens liquidis uestigia lymphis
purpureaue tuum consternens ueste cubile.

nam *uestrae sedes* hoc loco sunt Thesei eiusque cognatorum et popularium domicilia. ceterum lectione *uostra* probata carmen multo subtiliore acumine utitur quam si pronomen personae primae adsumpsimus, et multo melius cum ceteris hendecasyllabis ad Furium scriptis consentit ac conspirat neque artificiosa explicatione opus est. denique enixe contendo, si codices consensu uno lectionem *uostra* memoriae tradidissent, nemini umquam in mentem uenisse illa repudiata *nostra* conicere. probata igitur et restituta lectione *uostra* carmen XXVI carminibus illis adnumeramus quibus famelici istius mendicitatem poeta perstrinxit.

Superest ut pauca uerba de carmine CIII *Aut sodes mihi redde decem sestertia Silo* hoc loco addamus, quippe quod rem quodam modo uenercam tractet. Catullus enim a Silone lenone, qui pro meretricula per noctem redimenda mercedem acceperat, sed promissa non praestans inpudenter in poetam et ferociter se gessit, postulat ut pecuniam sibi reddat : quo facto illi licere quam inpudentissimum et inmodestissimum esse. sin uero quaestum suum exercere et se lenonem esse uelit, modestis et blandis moribus eum esse decere. pretium decem milium sestertium, quod Catullus lenoni dedit, idem

Digitized by Google

est quod 'decoctoris amica Formiani' Catullum poposcit (cf. xxxxi 2). quod ne nimium esse uidetur, praeter Suetonii Vespasian. 22 Martialis x 75 1 conferatur,

Milia uiginti quondam me Galla poposcit
et fateor magno non erat illa nimis.

itaque ex hoc quoque epigrammate perspici potest Catullo rem familiarem satis bonam et locupletem fuisse.

Digitized by Google

VII

Iam saepius in eis quae adhuc disputauimus Catulli iter Bithynicum commemorauimus, de quo nunc adcuratius exponendum est. primum quaerendum quando Catullus in Bithynia fuerit. huic quaestioni eis quae supra scripsimus in auxilium uocatis etsi non adcurate tamen generatim responderi potest, dum modo ne Catullus ante quam Lesbiam amauerit in Bithynia fuisse putetur. demonstrare enim supra conati sumus Catullum inde ab anno 693/61 usque ad annum 696/58 Lesbiam amauisse: quo de termino definiendo praeter alia ad carmina quae in Caelium Rufum, ut ex Ciceronis Caeliana scimus, anno 696/58 Catullus scripsit respici iussimus. quo minus autem intra tempus quo Catullus Lesbiae amore flagrabat eum in Bithynia afuisse Roma credamus, uel eo prohibemur quod Catullus in carminibus quae in itinere illo atque de eo scripsit Lesbiae numquam mentionem fecit. ab anno igitur 693/61 ad annum 696/58 Catullus Romae uel saltem in Italia moratus non in Bithynia fuisse potest. annis autem 697/57 et 698/56

Digitized by Google

Catullum Romae fuisse nihil est quod adcurate conprobet : contra annis 699/55 et 700/54 poetam Romae uixisse ex carminibus CXIII LV XI XXVIIII LIII apertum est. biennium igitur a. 697/57 et 698/56 relictum est, in quod iter Catulli incidisse satis prompta est coniectura. haec quae ad uniuersam uitae Catulli condicionem spectantes explicauimus, egregie confirmata uidebimus, si singulas illius itineris res perlustrauerimus. Catullus enim se in cohorte Memmii cuiusdam, propraetoris Bithyniae prouinciae, fuisse commemorauit (cf. XXVIII 7. 9 X 7. 10. 13). iam si Memmios aetatis Catulli et in primis Memmios praetores circumspicimus, solus Gaius Memmius L. F. Gemellus nobis offertur, de quo iam Antonius Parthenius (ad XXVIII 7) Antonius Muretus Achilles Statius cogitauerunt. cuius et aetas et annus praetorius tam egregie cum eis conspirant quae modo disputauimus ut sine ulla dubitatione Memmius Catulli et Memmius ille quem diximus pro uno eodemque homine habendus sit, praesertim cum etiam mores utriusque uiri optime congruant. Gaius enim ille Memmius anno 696/58 praetor fuit : eum cum L. Domitio Ahenobarbo et P. Nigidio Figulo et L. Cornelio Lentulo Crure (cf. Cicero in Pisonem 31 77) Cicero ad Q. fratrem I 2 16 sub finem anni 695/59 praetores designatos commemorauit. initio anni 696/58 Memmius praetor cum Domitio conlega Caesaris leges consulares adgressus est (cf. Suetonii Iul. 23 et scholiasta Bobiensis in Sestianam p. 297, 22 et in Vatinianam p. 317, 25). deinde anno eodem quo praetor erat Memmius Vatinio diem dixit (cf. Cicero in Vatinium 14 33 cum scholiis

Digitized by Google

Bobiensibus p. 323, 2). cum uero praetores qui fuerant anno sequenti in prouincias quas administrarent proficisci solerent, Memmium anno 697/57 ueri simillimum est prouinciam administrauisse : quam Bithyniam fuisse Catullus solus nobis tradidit. iniuria enim ut hoc probarent Gifanium Pighium alios ad fragmentum orationis G. Caesaris pro Bithynis quoddam prouocauisse ipsi infra demonstrabimus.

Sed sententiae illi de Memmio anno 697/57 in Bithynia propraetore non nullae res obstare uidentur. ad modum notum est nummos non paucos Bithynicos superesse in quibus nomina propraetorum uel ex praetura proconsulum Romanorum annis quibus nummi incusi sunt saepe additis leguntur. qui anni ab epocha, quam post diuersissimas uirorum doctorum sententias ab Eckhelio (in doctrina nummorum ueterum II 397) conlectas Sanclementius (de epochis numismatum inperialium p. 268 et sequentibus) inter aequinoctium autumnale ab urbe condita 475/279 et uernum aequinoctium uel solstitium aestiuum anni 476/278 incidisse rectissime docuit, conputantur atque descendunt. in his nummis etiam sunt in quibus nomen G. Papirii Carbonis annis 222 et 224 additis conparet, quos annos si ad epochae cardinem 475/279 rettuleris, anni ab urbe condita 697/57 et 699/55 efficiuntur. sin autem G. Papirius Carbo (cf. Cassii Dionis XXXVI 23) Bithyniam prouinciam annis 697/57 et duobus sequentibus rexit, quo modo eodem anno 697/57 Memmius illius prouinciae praeses esse potuit ? at tamen ex his difficultatibus facile nos expedire possumus. nonne enim, quoniam Sanclementius ad annum 476/278

medium cardinem epochae Bithynicae protrudi licere dixit, ab anno hoc ita annos Papirii Carbonis praetorios numerare possumus ut annos 222 et 224 annis aerae Varronianae 698/56 et 700/54 aequemus ? quo facto Memmium a Papirio Carbone in administranda prouincia proxime exceptum esse facilis esset coniectura. sed hoc artificio ne opus quidem est. etiam si annum 475/279 tenere lubeat, ea quae ex Catullo de Memmio in Bithynia a. 697/57 propraetore et quae ex nummis de Carbone eodem anno Bithyniae praeside docemur inter se satis bene conciliari possunt. nam ut iam indicauimus, si statuimus cardinem epochae Bithynicae anno 475/279 fuisse, sumendum est anni Bithynici initium aequinoctium autumnale fuisse : unde facile intellegi potest annum 222 cum anno Romano 697/57 congruere non potuisse, sed ita rem se habuisse ut annus Bithynicus 222 ab aequinoctio autumnali anni 697/57 usque ad idem tempus anni 698/56 decurreret. atque cum Memmius uere anni 698/56, qua de re infra non nulla dicemus, e Bithynia proficisceretur, quo tempore Papirius, si re uera eum in administranda prouincia secutus est, iam ipse in prouincia esse debuit, a tempore uerno anni 698/56 usque ad autumnale aequinoctium satis temporis reliquum erat quo nummi quibus annus 222 inscriptus est incudi possent. uerum enim uero quamquam, ut uidimus, nummi anni 222 rationibus, quas nos antea subduximus, minime officiunt, tamen facere non possum quin dubitationem de eis iniciam. quod me temere facere uix uereor ne arguar. namque praeter nummos urbium Bithynicarum Amisi (uide Eckhelii D. N. II 347 et Mionnetii Descr.

Digitized by Google

ii 344, 81) Apameae (Mionn. ii 412, 20) Bithynii (Eckh. ii 406 Mionn. ii 416, 39) Nicaeae (Mionn. Descr. Suppl. ii 78, 395. 396. 397) Nicomediae (Mionn. D. S. ii 166, 964. 965. 966. 967) in quibus nomen quidem Carbonis legitur neque tamen ullus annus indicatur, permulti manserunt in quibus praeter nomen illud annus quoque *ΔΚΣ* h. e. 224 conparet : tales nummi urbium Bithynii (Mionn. S. ii 18, 89) Nicaeae (Eckh. ii 423 Mionn. ii 450, 207. 208. 209) Nicomediae (Eckh. ii 429 Mionn. ii 465, 298. 299. 300. 301 466, 302 Suppl. ii 167, 968. 970 168, 971. 972) Prusae ad Olympum (Eckh. ii 432 Mionn. ii 479, 373 Suppl. ii 223, 1314) reperti et descripti sunt : contra nota *ΒΚΣ* h. e. 222 ex uno solo, ut uidetur, nummo urbis Nicaeae (Eckh. ii 423 Mionn. ii 449, 206) enotata est. iam si ad frequentiam et eorum nummum in quibus nomen Gai Papirii Carbonis est et eorum in quibus huic nomini annus 224 additur animum aduertimus et praeterea reputamus nummos Bithynicos plerosque male habitos et in notis chronologicis saepe detritos ad nos peruenisse, quae Sanclementii de epochis p. 269 uerba sunt, unde errores eorum qui eos legerunt et descripserunt natos esse nummi qui nomen G. Vibii Pansae habent Bithynici luculenter probant, ut pote in quibus praeter numeros *ΒΛΣ* et *ΓΛΣ* rectos numeri quoque *ΕΛΣ* et *ΖΛΣ* sine dubio falsi legi ferantur (cf. Sanclementius l. c. p. 268 et Schoenemannus de Bithynia et Ponto prouincia Romana p. 15), ad suspitionem omnino inclinamus nummi illius inscriptionem a uiris doctis non recte descriptam esse et pro inaudito illo *ΒΚΣ* legendum esse *ΔΚΣ* idem

Digitized by Google

quod in tot nummis eodem Papirio praetore factis aperte reperitur.

Sed ut ad rem redeam, Catullus, quem Lesbia nuper relicta Romae uiuere taedebat, Gaium Memmium Gemellum ut terris ac populis peregrinis uisendis animum dolore et aegritudine fractum recrearet cum G. Heluio Cinna (cf. x 31 et Hauptii quaest. Catull. p. 100) et aliis nobilibus iuuenibus (cf. x 10 xxxxvi 9 *o dulces comitum ualete coetus*) in Bithyniam secutus est. Memmius, qui ipse litterarum studiosissimus erat (inter poetas enim carminum amatoriorum et lasciuorum ab Ouidio tristium ii 433 et a Plinio epistularum v 3 5 enumeratur, cf. etiam Gellii noctium Atticarum xviiii 9 7, atque eidem Lucretius libros de rerum natura inscripsit) Catullum et Cinnam poetas amice inuitasse uidetur ut se comitarentur, ne, dum a Roma abesset, commercio et conloquiis litterariis careret. haec maxime probabilia esse ei uidebuntur qui cum Catullum tum maxime Cinnam Graecis carminibus aut uertendis aut laboriose imitandis operam inpendisse reputauerit : Memmium enim maxime Graecarum litterarum studiosum sed fastidiosum Latinarum fuisse Cicero in Bruto 70 247 narrat. Quo anni 697/57 tempore cum Memmio in Bithyniam abierit Catullus non eloquitur. tamen id coniectura non inprobabili adsequi possumus. praetores enim in prouincias suas non tam primis anni diebus, quippe quibus itinera magistratibus nimis molesta fuissent, quam uere demum accedere et eodem anni sequentis tempore inde decedere solebant (cf. Reinius in Paulii encyclopaediae vi 80 et Marquardtius de antiqui-

Digitized by Google

tatibus Romanis III 1 133. 287). haec ratio eo pulcre confirmatur quod ex carminis XXXXVI uersibus his, in quibus gaudium de reditu instante exprimitur,

Iam uer egelidos refert tepores
iam caeli furor aequinoctialis
iucundis zephyri silescit auris
linquantur Phrygii, Catulle, campi,

poetam adparet paullo post aequinoctium uernum a. 698/56 e Bithynia profectum esse. neque prius quam ceteros qui in Memmii cohorte erant nec prius quam Memmium ipsum Catullum, quamquam solus rediit et propria in reditu naue usus est, reuertisse ex eiusdem XXXXVI carminis uersibus extremis

o dulces comitum ualete coetus,
longe quos simul a domo profectos
diuersae uariae uiae reportant

facile concludimus. ceterum nos supra sumpsisse Memmium per unum solum annum in prouincia remansisse, non ideo fecimus quod illo tempore praetores amplius anno prouinciam administrare uetitos esse putaremus (nam antiquus hic mos lege de prouinciis ordinandis Cornelia anno 673/81 mutatus est), sed ea de caussa quoniam etiam post legem Corneliam latam propraetores cauentes ne ad consulatus petitionem instituendam ac factitandam sero Romam redirent prouincias anno amplius administrare non solebant : neque quicquam in libro Catulli reperitur quo diutius anno in Bithynia poetam afuisse demonstretur. contra ex eis quae supra p. 127 disputauimus ueri simillimum esse opinor

Digitized by Google

carmina xxxxviii et lviiii Romae anno 698/56 a Catullo scripta esse. quae de Memmii annua administratione Bithyniae statuimus, omni dubitationi exempta essent, si lex Iulia de prouinciis, quae edixit ne praetoriae prouinciae plus quam annum neue plus quam biennium consulares obtinerentur (cf. Ciceronis Philippicarum i 8 19), id quod Hoeckius in historiae Romanae i 129 statuit, a Caesare a. 695/59 consule lata esset, sed multo rectius a Drumanno (iii 624) anno 708/46 attribuitur.

Amicitia Memmii et Catulli illius auaritia et insolentia mox interrupta est, de qua poeta saepius acerbe questus est. cum Vari scortillum (cf. decimum carmen) ex poeta quaesiuisset

quid esset
iam Bithynia, quo modo se haberet
ecquonam mihi profuisset aere,

is respondit

id quod erat : nihil neque ipsis
nec praetoribus esse nec cohorti
cur quisquam caput unctius referret,
praesertim quibus esset inrumator
praetor non faciens pili cohortem.

atque in carmine xxviii Verannium et Fabullum, qui cum Pisone praetore in prouincia quadam commorabantur, sibi amicissimos Catullus hoc modo interrogat :

quid rerum geritis ? satisne cum isto
uappa frigoraque et famem tulistis ?
ecquidnam in tabulis patet lucelli

Digitized by Google

expensum, ut mihi, qui meum secutus
praetorem refero datum lucello
'o Memmi, bene me ac diu supinum
tota ista trabe lentus inrumasti'.
sed, quantum uideo, pari fuistis
casu : nam nihilo minore uerpa
farti estis . . .

Si igitur Catullo fides habenda est, Memmius prouinciam exhauriens redituum plurimum in usum suum conuertebat neque quicquam cohortem lucrari sinebat, quamquam nescio an plurimi illius sodales lucri spe moti eum comitati sint. e quibus Catullum non excipio, qui cum ex itinere Bithynico redux ad Sirmionem suam paeninsulam uenisset (cf. carmen xxxi), exclamauit haec :

labore fessi uenimus larem ad nostrum
desideratoque adquiescimus lecto :
hoc est quod unum est pro laboribus tantis.

At quaerendum est quo iure Catullus lucrum in prouincia facere expectauerit. qua de re quae Scaliger olim disputauit magnam partem falsa esse iam Vossius recte adnotauit. et primum quidem lucrum haud paruum praetoris comitibus ex pecuniis a populo Romano in prouinciarum sumptum decretis, quarum aliquantum ad cohortis quoque praetoriae homines redibat, nasci solebat (cf. Cicero in Verrem II I 14 36 *dedi stipendio frumento legatis pro quaestore cohorti praetoriae HS mille sescenta triginta quinque milia quadringentos decem et septem nummos*), praesertim cum pecuniae illae, quae

Digitized by Google

cibaria uocabantur, tanta liberalitate a populo Romano decernerentur ut uictus necessitates magistratuum multo egrederentur (cf. Marquardtius de antiquitat. Rom. III 2 85). deinde uero inter omnes constat proconsulum et propraetorum fere unum quemque prouincias, quas adepti erant, omnibus rationibus uel turpissimis artificiis adhibitis expilare et diripere consueuisse. quod non solum in suum ipsorum commodum, sed etiam, quando quidem de alieno liberalem esse facillimum est, in amicorum suorum et comitum gratiam exercebant: quibus, si incredibiles opes a magistratibus ipsis ex prouinciis deportatas reputaueris, sat magna emolumenta contigisse nihil est miri. multi in Ciceronis orationibus Verrinis loci ad res has inlustrandas maxime apti sunt, quorum duos hic excribi liceat: II II 10 27 *comites illi tui delecti manus erant tuae: praefecti scribae adcensi medici haruspices praecones manus erant tuae: ut quisque te maxime cognatione adfinitate necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors tota tua illa, quae plus mali Siciliae dedit quam si centum cohortes fugitiuorum fuissent, tua manus sine controuersia fuit. quidquid ab horum quopiam captum est, id non modo tibi datum sed tua manu numeratum iudicari necesse est. nam si hanc defensionem probabitis 'non accepit ipse', licet omnia de pecuniis repetundis iudicia tollatis . . . . sed tu, cum et tuos amicos in prouinciam quasi in praedam inuitabas et cum eis ac per eos praedabare et eos in contione anulis aureis donabas, non statuebas tibi non solum de tuis sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam?* III 30

71 *Imperat* (Verres) *Agyrinensibus ut decumas ipsi publice accipiant, Apronio lucrum dent . . . . Apronio, deliciis praetoris, lucelli aliquid iussi sunt dare. putatote Apronio datum, si Apronianum lucellum ac non praetoria praeda uobis uidebitur. inperas ut decumas accipiant : Apronio dent lucri tritici medimnum* XXXIII. *quid hoc est? una ciuitas ex uno agro plebis Romanae prope menstrua cibaria praetoris inperio donare Apronio cogitur.* hoc loco uides uel 'lucelli' uocabulum a Cicerone plane eodem sensu usurpatum esse atque a Catullo in carmine XXVIII. haec omnia quae diximus usu diuturno tanto opere inueterata erant ut fere quisque qui magistratum quendam in prouinciam secutus est pecuniae omni modo conquirendae in primis operam daret neque hoc uitiosum et turpe haberet : cf. x 8 *ecquonam mihi* (Bithynia) *profuisset aere* et Mommseni historiae Romanae III 522. itaque Catullum quoque spes diuitiarum incessit, sed prouincia parum largiente et praetore commodis cohortis parum prouidente frustra. de prouinciae egestate Catullus x 9 *nihil neque ipsis* (i. e. Bithynis) *esse* et 19 *prouincia quod mala incidisset* questus est : fertilitatem tamen agri Nicaeensis ipse XXXXVI 5 commemorauit. Memmium ipsum prouinciam quam maxime expilauisse etsi nihil adest quod credere dissuadeat, tamen testimonio nullo traditur, et Obertus Gifanius in prolegomenis de gente Memmia, quae Lucretio suo praemisit, p. 35 fallitur arbitratus ex Gellio v 13 6 conligi posse Memmium, quia non bene prouinciam administrasset aut prouincialibus quibusdam iniuriam intulisset, a G. Caesare accusatum esse. ean-

Digitized by Google

dem fere coniecturam postea Scaliger ad carminis xxviii 9 et Pighius annalium Romanorum iii 380 fecerunt et hic anno 698/56 Memmium a Iulio Caesare repetundarum reum factum esse putauit. quibus Gifanii et Pighii sententiis praeter multa alia temporum ratio omnino oppugnat, quando quidem, cum Memmius ex Bithynia Romam rediit, Caesar iam dudum in Gallia prouincia commoratus est: nam quae Pighius de accusatione Memmii per litteras facta ariolatur non est quod refutemus. accedit ut tota Gifanii et Pighii opinio ab emendando nomine quod in libris *M. uince* est pendeat, pro qua corruptela Gifanius et Pighius 'Memmi' correxerunt. sed corruptum illud nomen, sicuti in Schneidewini philologo vi 377 Nipperdeius, quem Hertzius secutus est, docuit, *M. Iunce* legendum et ad Asiae ex praetura proconsulem Iuncum (cf. Plut. Caes. 2 Vellei Paterc. ii 42) anni 680/74, quo ipso anno orationem pro Bithynis Caesar habuit, referendum est. ceterum nemo opinor Catullum sine ullo lucro e prouincia abiisse putabit. ut huius rei exemplo utar, Catullum, quamquam 'octo hominibus rectis ad lecticam' (cf. x 16. 20) caruit, tamen phaselum, quo in Italiam rediit quemque in ipsa Bithynia fabricatum esse ipse iiii 10 poeta narrauit, neque aliter remiges, quibus in mari transmittendo opus erat, de lucro Bithynico sibi conparasse mihi quidem certissimum est.

Spe igitur sua deceptus poeta in Memmium conuitia iecit quae supra recensuimus et carmen illud xxviii, quo iam saepius usi sumus, his clausit uersibus

Digitized by Google

pete nobiles amicos.
at uobis (Pisoni et Memmio praetoribus) *mala*
multa di deaeque
dent, opprobria Romulei Remique.

Verba *pete nobiles amicos* significant 'caue ne nobiles amicos petas, quod quotiens feceris, semper te paenitebit'. amici nobiles sunt fautores ex optimatum ordine, qui hominem prouincialem, qualis Catullus erat, uix obseruantia quadam et cura dignum ducebant. ceterum Memmium re uera moribus turpissimis fuisse neque Catullum eum iniuste contumeliis insecutum esse rebus non nullis manifestum fit. ueluti inpudentiae exquisitissimae exempli loco illa pactio inter consules anni 700/54 L. Domitium Appiumque Claudium, quadrantariae fratrem, et candidatos anni sequentis G. Memmium et Domitium Caluinum clam facta commemoranda est, de qua Cicero ad Atticum IIII 18 2 haec : *consules* (a. 700/54) inquit *flagrant infamia quod G. Memmius candidatus pactionem in senatu recitauit quam ipse et suus conpetitor Domitius cum consulibus fecissent, uti ambo HS quadragena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tris augures dedissent qui se adfuisse dicerent, cum lex curiata ferretur quae lata non esset, et duo consulares qui se dicerent in ornandis prouinciis consularibus scribendo adfuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset. haec pactio non uerbis sed nominibus et perscriptionibus multorum tabulis cum esse facta diceretur, prolata a Memmio est nominibus inductis auctore Pompeio.* en habes 'opprobria

Digitized by Google

Romuli Remique'. denique equidem non contenderim, quod interpretibus placuit, uocabula 'inrumatoris' et 'uerpae', quibus Memmius x 12 et xxviii 10. 12 nominatur, omni obscaena significatione carere. consulto enim et acumine quodam acerbo usum puto Catullum nomina quibus illius morum peruersitatem perstringeret a libidinibus desumpsisse : hominem enim maxime libidinosum Memmium fuisse, ut nihil de carminibus lasciuis eius dicam, inde conligo quod et M. Luculli uxorem uitiauit (cf. Ciceronem ad Atticum i 18 3) et cum Pompei uxore rem aut habuit aut habere uoluit (cf. Suetonius de grammaticis 14 p. 111 Reifferscheidii). restat ut consideremus quid sibi illud *lentus* uelit in hoc uersu

o Memmi, bene me ac diu supinum
tota ista trabe lentus inrumasti.

haec licet ita pluribus uerbis exprimi : 'o Memmi, uir libidinosissime, lentitudine tua mirum quantum me uexauisti pessimeque me tractasti'. lentitudinem uero Catullus tardam incuriam et socordem neglegentiam praetoris 'non facientis pili cohortem' adpellauit. iam Achilles Statius, omnium Catulli interpretum longe optimus, bene Afranii locum attulit ex Emancipato a Charisio ii 183 P excerptum apud Ribbeckium p. 150

quam lente tractat me atque inludit.

praeterea cf. Laberius in Conpitalibus 29 Ribb.

nunc tu lentu's, nunc tu susque deque fers

cum eis quae Gellius xvi 9 3 adnotauit. atque Memmium segni natura neque laboris patientem fuisse locus Cice-

Digitized by Google

ronis probat qui de Memmio oratore in Bruto 70 247 est : *G. Memmius L. f. perfectus litteris, sed Graecis, fastidiosus sane Latinarum : argutus orator uerbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi uerum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit quantum inminuit industriae.* ut igitur in ingenii dotibus excolendis ita etiam in curis et officiis cohorti suae inpendendis segnis fuit Memmius et lentus.

In Bithynia, ut iam indicauimus, Catullus nauem sibi conparauit qua ut domum rediret uteretur. quae cum ad lares suos erum reportauisset, emeritam et in lacu Benaco ad Sirmionem paeninsulam, quae eiusdem eri erat, requiescentem Castori et Polluci carmine IIII poeta dedicauit. his enim uerbis Catullus in carmine illo extremo phaselum loquentem fecit :

neque ulla uota litoralibus deis
sibi esse facta cum ueniret a marei
nouissime hunc ad usque limpidum lacum.
sed haec prius fuere : nunc recondita
senet quiete seque dedicat tibi,
gemelle Castor et gemelle Castoris.

uiam quam in reditu tenuit Catullus ipse in uersu sexto et sequentibus descripsit. maria enim uel loca per quae uel ad quae phaselus uehebatur testes celeritatis eius inconparabilis hisce uerbis producuntur,

et hoc negat minacis Adriatici
negare litus insulasue Cycladas
Rhodumque nobilem horridamque Thraciam

Digitized by Google

Propontida trucemue Ponticum sinum,
ubi iste post phaselus antea fuit
comata silua.

quem marium et locorum ordinem si inuerteris (poeta enim in eis nominandis a magis uicinis ad remotiora progressus est), cursum quem phaselus tenuit adcurate cognoueris. neque obliuisci debemus Catullum, cum ex Propontide Thracia a uia recta auersus (cf. xxxxvi 6) Rhodum, in urbem studiis litterarum in primis philosophiae et eloquentiae illis temporibus celeberrimam, tenderet, ad Troiana siue Rhoetea litora naue adpulsa tumulum fratris morte matura sibi absumpti postremo inferiarum munere donauisse: cf. carmen ci, de quo mox plura dicemus. quamquam ex carmine iiii, in primis ex eius uersu uigesimo altero et sequentibus

neque ulla uota litoralibus deis
sibi esse facta, cum ueniret a marei
nouissime hunc ad usque limpidum lacum,

Catullum phaselo suo ex mari Adriatico in lacum Benacum nauigasse manifestum est, tamen quanam ratione id perfecerit adcurate indicari non potest. Scaliger putauit phaselum per Padum et Mincium aduersos in lacum Benacum nauigasse. sed hodie, ut regionum illarum periti adfirmant, neque hac uia uti licet neque in uniuersum ulla nauigatio inter mare Adriaticum et Benacum lacum extat. tamen, ut ex eis quae A. G. Zumptius in Leutschii philologi xii 754 dixit conperi, Ioannes Hieronymus Ortius in libro quem de Sirmione insula Veronae a. 1856 edidit Catulli tempori-

Digitized by Google

bus Athesim et Mincium fluuios fossa nauigabili inter Veronam et Vallaticum (Valeggio) ducta, cuius reliquiae hodie dum conspicuae sint, coniunctos fuisse coniecit postea adcuratius hac de re se inquisiturum pollicitus.

In Bithynia ipsa, cum reditum pararet uere anni 698/56, poeta carmen xxxxvi *Iam uer egelidos refert tepores* scripsit et in reditu ipso fratris sepulcrum memoria pia prosequens carmen ci *Multas per gentes et multa per aequora uectus.* cum in Italiam et in prouinciam patriam aduenisset, Sirmionem paeninsulam carmine xxxi *Paene insularum Sirmio insularumque* suauissimo salutauit,

quam te libenter quamque laetus inuiso
uix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
liquisse campos et uidere te in tuto.

paullo post hoc carmen, id quod ex uersus 24 uocabulo *nouissime* sequitur, carmen iiii *Phaselus ille quem uidetis, hospites* scriptum est. denique cum prouincia Transpadana relicta poeta Romam uenisset ibique ab hominibus amicis et curiosis, ut fieri solet, interrogationibus inportunis ualde uexaretur, res illa accidit quam Catullus in carmine x *Varus me meus ad suos amores* lepide et iocose narrauit. de cuius carminis uersu uigesimo sexto

commodum enim uolo ad Sarapim
deferri

iam Scaliger et Vossius recte adnotarunt illo tempore

Digitized by Google

non licuisse Sarapea intra urbem habere sed extra pomoerium relegata esse : itaque Vari amicam quasi longae uiae excusatione usam Catullum lecticam postulasse (cf. Marquardtius de Rom. antiq. IIII 85 Prellerus de mythol. Rom. p. 727 Mommsenus hist. Rom. III 551).

Digitized by Google

VIII

Supra cum de itinere Bithynico disputaremus, fratris Catulli mentionem iam fecimus, de quo iam paullo adcuratius inquirendum est. quae Catullus de fratre suo rettulit omnia ad eius mortem spectant atque poetae in fratrem animum pietatis et amoris plenissimum egregie testantur. tamen praeter illud carmen CI, quod modo commemorauimus, nullum in Catullianis est fratri ipsi dedicatum : sed tribus locis carminum ad alios missorum et alias quasdam res tractantium quasi occasione quaesita et adrepta magis quam oblata fratrem eiusque mortem inmaturam luctibus siue uehementissimis siue tenerrimis prosequitur. hi loci sunt carminum LXV 1—15 LXVIII^a 19—26 LXVIII^b 91—100. prius quam de singulis his locis disputamus, pauca de carminis CI tempore eis addere lubet quae supra exposuimus. quod carmen in itinere Bithynico scriptum esse elucet. at utrum ex Italia abiens an ex Bithynia rediens poeta conposuit? supra in reditu scriptum esse sumpsimus. quod quibus argumentis fecerimus iam dicendum est. uel priores uersus

Digitized by Google

multas per gentes et multa per aequora uectus
aduenio has miseras, frater, ad inferias

quamquam a poeta ex Italia ueniente nullo modo scribi potuisse non adfirmauerim, tamen sine dubio multo aptiorem sensum accipiunt, si in reditu scriptos ducimus. conferas quaeso in primis uerba *multas per gentes uectus.* praeterea sententia nostra uersibus extremis commendatur

accipe fraterno multum manantia fletu
atque in perpetuum, frater, aue atque uale.

uix enim Catullus ab Italia ueniens, quoniam fratris tumulum iterum praeternauigandum esse sciebat, fratrem '*in perpetuum* auere et ualere' iussurus fuit. praeterea inde quoque quod Catullo, cum naui propria in reditu uteretur et Rhodum tenderet, quam proxime fratris tumulus praeteruehendus fuit, sententiae nostrae aliquid commendationis accedere putauerim.

Ab hoc carmine prius discedere non possumus quam opinionem quandam a non nullis uiris doctis defensam refutauimus. Antonius enim Parthenius ad carmen LXV 5 haec: *Catullus ex Bithynia in Italiam reuertens fratrem in Phrygia relictum paucis diebus post inmatura morte raptum amisit, cuius nunc interitum maerore testatur*, et ad carmen CI 1 haec notauit: *amiserat Catullus fratrem suum in litore Troiano extinctum atque tumulatum: in patriam itaque reuersus poeta cenotaphio manibus fraternis constituto inferias celebrat pietatemque fraternam acerbo fletu lacrimisque testatur.* deinde Iosephus Scaliger ad carminis XXXXVI 1 haec scripsit: *Catullus decedens pro-*

uincia Bithyna fratre eius languorem nacto coactus est in Troade subsistere : ubi fratrem ex morbo amisit eumque ibi tumulauit. post exequias fratris uere nouo soluens hoc epigramma (xxxxvi Iam uer egelidos refert tepores) conposuit. in Bithynia uult hoc carmen scriptum esse uir eloquentissimus, a quo dissentimus. illene exequias fratri ante funus fratris? ridiculum. uerum tamen rectissime dixit Muretus, quem nos p. 174 secuti sumus, in Bithynia Catullum carmen hoc scripsisse : cuius sententia uel commemoratione agri Nicaeensis in uersu quinto extra dubitationem ponitur. 'Phrygii campi', quos Catullus in uersu quarto commemorat, a Phrygia maiore, terra Bithyniae confini, nomen traxerunt neque sunt, ut Scaliger credidisse uidetur, Phrygiae minoris, olim Troadem quoque conplectentis, quae regio Catulli temporibus pars Asiae prouinciae erat, quo profecturum sese esse Catullus in uersu sexto ait. — Fridericus denique Iacobsius in florilegii poetarum Romanorum parte II 43 Catullo in Bithyniam proficiscenti coniecit in litore Troadis fratrem, qui ipse quoque in Memmii cohorte fuisset, morte esse ademptum. horum sententias ut refutaremus, ad carmina LXVIII[a] et LXVIII[b], in quorum utroque mors fratris Catulli commemoratur, prouocare possemus, quoniam ex eis quae supra exposuimus satis diu ante iter Bithynicum carmen utrumque illud scriptum esse elucet : sed, ne praeiudicata opinione occaecati esse arguamur, auxilium carminum LXVIII[a] et LXVIII[b] recusare et solum carmen CI hoc consilio usurpare praestat. concedendum quidem est satis speciose grammaticos illos fratrem Catulli coniectasse cum poeta in Bithynia fuisse uel eodem

Digitized by Google

profectum esse, quando quidem apud Rhoeteum promunturium (cf. LXV 7 et LXVIII[b] 90 et sequentes) in Troade, terra Bithyniae ualde uicina, ille sepultus est : nihilo minus tamen illud falsissimum est, quod priores uersus carminis CI satis superque demonstrant. namque qua ratione Catullus, si eum in itinere Bithynico frater comitatus esset et si is, quo tempore fratrum par in Bithyniam tetendit uel quo illinc rediit, tum mortuus esset, prope fratris, quem morientem uidisset, tumulum in Troadis litore extructum stans dicere potuisset se multas per gentes et multa per aequora uectum ad inferias fratris uenisse ? quando quidem sensus uersuum illorum manifestus hic est : 'multos per populos', inquit Catullus, 'et multa per maria mihi eundum fuit, donec fratris tumulum tandem aliquando uisere et capiti carissimo inferias instituere potui'. haec omnia tum demum sensum sanum praebent, ut quiuis ilico persentiscit, si Catulli frater aliquanto ante iter Bithynicum et a fratre longe absens mortuus esse creditur. unde uides quam inepta illorum sit sententia de fratris in itinere Bithynico Catullo praesente morte : nec meliora sunt Parthenii de cenotaphio manibus fraternis a Catullo in patria terra constituto commenta, quae refutare supersedeo.

Ea quae ex solo carmine CI effecimus, tribus illis locis in quibus fratris Catullus praeterea mentionem fecit, ut iam indicauimus, confirmantur et paullo adcuratius circumscribuntur. atque de duorum quidem locorum tempore supra ea de caussa iam diximus, quia in carminibus ad Lesbiam spectantibus, quae iam tractauimus, reperiuntur. sunt hi LXVIII[b] 90–100 et LXVIII[a] 19—26.

Digitized by Google

carmen LXVIII[b] supra p. 78 uidimus quasi in confinio amoris non dum turbati et discidii amantium ponendum et anno 694/60 extremo attribuendum esse. neque uero maius quoddam interuallum inter tempus quo frater mortuus et quo carmen illud scriptum est intercessisse potest, quoniam maerores et luctus poetae tam sunt uehementes ut nisi recentem dolorem exprimere non posse uideantur. en habes locum totum :

Troia uirum et uirtutum omnium acerba cinis,
quaene etiam nostro letum miserabile fratri
attulit. hei misero frater adempte mihi,
hei misero fratri iucundum lumen ademptum,
tecum una tota est nostra sepulta domus,
omnia tecum una perierunt gaudia nostra
quae tuus in uita dulcis alebat amor.
quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
nec prope cognatos conpositum cineres,
sed Troia obscaena, Troia infelice sepultum
detinet extremo terra aliena solo.

similem doloris uehementiam et quasi inpetum carminis LXV uersus 1—15 restituti et aucti Caroli Lachmanni artificio plane admirabili spirant et testantur : qua re id carmini LXVIII[b] fere aequale esse censeamus. conferantur in primis uersus quintus et sextus

namque mei n u p e r Lethaeo gurgite fratris
pallidulum manans adluit unda pedem.

conicere igitur licet fratrem Catulli anno 694/60 mortuum esse (cf. Iungclaussenus p. 18). quod ab Helbigio (l. c. p. 1218) mors fratris anno 696/58 attribuitur non iam

Digitized by Google

curamus, cum ratio haec ex illius rationibus de Catulliani Lesbiae amoris tempore a nobis supra p. 130 refutatis plane dependeat. contra in carmine LXVIII^a 19—26

sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
abstulit. o misero frater adempte mihi,
tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
tecum una tota est nostra sepulta domus,
omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
quae tuus in uita dulcis alebat amor.
cuius ego interitu tota de mente fugaui
haec studia atque omnis delicias animi,

quo loco uersus olim de morte recenti conpositos poeta quasi citando repetiit, dolorem prius grauissimum quodam modo lenitum et mitigatum uidemus : temporis enim longinquitas poetae luctum leuauerat. etenim carmen LXVIII^b anno fere 696/58 scriptum esse supra p. 124 docuimus. denique uere anni 698/56 carmen CI, ut saepius diximus, scriptum est. quo in carmine cum, id quod Iungclaussenus recte sensit, fratris obitum multo magis quieto et conlecto animo quam in ceteris illis poeta queritur, uel inde id aliquanto post locos tres illos eum conposuisse manifestum est.

Digitized by Google

VIIII

Conuertamur ad carmina quae in Caesarem et Caesarianos poeta Veronensis scripsit enarranda. quorum in numero decem haec carmina referenda sunt: xxviiii *Quis hoc potest uidere, quis potest pati* lii *Quid est, Catulle? quid moraris emori?* liiii *Othonis caput oppido pusillum* lvii *Pulcre conuenit inprobis cinaedis* lxxxiii *Nil nimium studeo, Caesar, tibi uelle placere* lxxxxiiii *Mentula moechatur: moechatur mentula: certe* cv *Mentula conatur Pipleum scandere montem* cxiii *Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant* cxiiii *Firmanus saltu non falso Mentula diues* cxv *Mentula, habes instar triginta iugera prati.*

Tria uerba illa *odi et amo,* a quibus epigramma lxxxv incipit, animi adfectus eos quibus potissimum Catullus per uitam suam commouebatur quam breuissime exprimunt ac designant. amor quanta gaudia et quantos dolores poetae pepererit a nobis supra luculenter expositum est. item odii Catulliani exempla et sat multa et insignia in eis quae praecesserunt tractauimus neque

Digitized by Google

ad Catulli singularem proprietatem quandam, quae ad eius poesim diiudicandam maximi est momenti, animum attendere praetermisimus. saepius enim illam acerbitatem et animi amaritudinem commemorauimus, qua motus Catullus, cum se ab amico quodam uel amica deceptum esse cognosset, non tam a perfidis hominibus se reuocare eorumque infidelitatem queri et uituperare satis habuit, quam praeterea operam dedit ut fidei promissae proditores de aliis quoque quibuslibet rebus idque saepe, ut uidetur, si non prorsus iniuste, tamen iniustius contumeliis acerbissimis carperet ac deminueret. quapropter sicuti in amoribus iustos fines sobrietatis, si qui sunt, poetam egressum esse supra uidimus, ita in odiis quoque plane insatiabilem se gessit. uerum tamen difficile non est ad Catulli naturam et mores respicienti illius amaritudinis caussas explicare. Catullus enim animi candore tam simplici et incorrupto fuit ut de insidiis et perfidiis in amicitiis uel amoribus committendis ne cogitaret quidem. ideo saepius accidit ut ab eis quos ut fidos amicos sine ulla tergiuersatione in amicitiam candide receperat, fraudulenter deciperetur. quod quotiens factum est, totiens poeta quo magis se pium et probum in illos se gessisse conscius sibi fuit, eo uehementius et saeuius, si de illorum nequitia recte et plene sibi persuaserat, ira et odio incensus iniurias sibi inlatas ulcisci studuit. ueluti acerba Caelii Rufi perfidiae in carmine LXXVII uituperatione Catullus non contentus insuper carmina LXVIIII et LVIIII confecit quibus propter res a perfidia illa alienissimas eundem insectaretur. eadem ratione in Gellium poeta se gessit, quem cum

Digitized by Google

Lesbiae insidiari conperisset, criminibus omnis generis et grauissimis et turpissimis a perfidia illa item maxime alienis in septem carminibus obruit. similiter Egnatio, quem rem cum Lesbia habere sciebat, in carmine xxxviiii ab amore plane distantia exprobrauit. similiter Ametina puella cum pretium corporis nimium constituisset, poeta spe deceptus indeque iratus puellam a se ipso modo expetitam ut omni pulcritudine et uenustate carentem depinxit. denique carminum in Furium et Aurelium contumeliosorum caussa fuit fere eadem.

Haec carminibus in Caesarem et Caesarianos explicandis praemittenda ea de caussa duximus quia haec potissimum carmina odia sane inexpiabilia et ab illis quae in puellas et amicos infideles antea effudit toto ut aiunt caelo diuersa spirant ac testantur. Catullum ex Bithynia uere anni 698/56 reuersum lusuum amatoriorum paene pertaesum est. etsi Iuuentii amore post reditum illum paullisper flagrabat, tamen hic amor quanto opere ab illis Lesbiae amoribus pristinis distabat. iam non ut praeteritis illis temporibus amor erat ad quem omnia studia poeta referret, amor unde gaudia maxima sibi orerentur, amor cuius caussa dolores innumerabiles toleraret atque odia grauia conciperet et effunderet. omnis Catulli uitae et studiorum ratio conuersa et inmutata fuit. in locum amoris, unde olim omnia quae poetae cordi erant dependebant, iam odium successerat, quod eius animum, cum a plurimis quibus maxime confisus erat, a Lesbia, 'tantum ab eo amata quantum nulla postea amabitur', ab Aufilena ab Alfeno a Cornificio (u. p. 45) a Gellio Caelio Memmio

Digitized by Google

perfide deceptus et neglectus esset, totum occupauerat. tali in odio acerbissimo Catullus hominum fiducia abiecta quasi refugium quaesiuit quo se ab eorum nequitiis reciperet et unde egressus castigatione sua dignos persequeretur. neque uero post iter Bithynicum poeta ut olim in perfidos amiculos et puellulas odia profudit, sed aduersarium quo maiorem et potentiorem tum adgredi non potuit, uersuum telis spectauit ac petiit. Gaium enim Caesarem sibi elegit in quem odia sua dirigeret. annis septimi ab urbe condita saeculi ultimis omnes, qui status et condicionis rei publicae Romanorum iudices intellegentes erant, mox fore prouiderunt ut illa unius inperatoris dominatu et arbitrio teneretur. cum Catullus ex Bithynia in Italiam rediisset, paullo ante mense Aprili Caesar Pompeius Crassus Lucam conuenerant: quo congressu omnes spes quas rei publicae liberae defensores, cum Pompeius Caesaris in Gallia commorantis subsidiis orbatus nec senatui et optimatibus neque P. Clodio, qui Magnum indefesse uexabat, bene resistere sciret, de inperio trium uirorum depellendo intra annos 696/58 et 697/57 conceperant et nutriuerant, subito ad inritum ceciderunt. nihilo minus tamen propugnatores rei publicae Pompeio et Caesari, quorum alterum regiam dignitatem adsecuturum esse omnia clamabant, enixe se opponebant ut rei publicae mutationem si non prohiberent, tamen proferrent. quos inter innumerabiles aduersarios, quorum sua quisque indole et facultate pro libertate pugnabat uel pugnare simulabat, non nulli poetae quoque fuerunt, qui carminibus contumeliosis illud par potentissimum adgrediebantur ac persequeban-

Digitized by Google

tur : Gaium dico Licinium Caluum et Marcum Furium Bibaculum et ipsum Catullum. quod et eorum ipsorum et aliorum scriptorum testimoniis conprobatur. ueluti Caluum Caesari et Pompeio carminibus male dixisse et ex Suetonii uitae Caesaris capite 73, ubi famosa Calui in Caesarem epigrammata commemorantur, scimus et ex duobus carminum illius fragmentis adparet, quorum alterum ab eodem Suetonio in uita Caes. 49 seruatum in Caesarem est,

Bithynia quidquid
et pedicator Caesaris umquam habuit,

alterum partim a Seneca controuersiarum III 19 et V 30 partim a scholiasta Lucani Pharsaliae VII 726 seruatum Pompeio ita inludit :

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
scalpit. quid credas hunc sibi uelle? uirum.

de Bibaculo et Catullo Cremutium Cordum Tacitus ab excessu Diui Augusti IIII 34 haec loquentem fecit : *Antonii epistulae, Bruti contiones falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent : carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur : sed ipse diuus Iulius, ipse diuus Augustus et tulere ista et reliquere.* adcuratiora ipsis Catulli carminibus famosis, quae aetatem tulerunt quaeque ad unum omnia, ut uidetur, inter annos 698/56 et 700/54 scripta sunt, docemur.

Caesarem quamuis potentissimum a se neglegi et nihil omnino curari poeta aperte in epigrammate LXXXXIII dicit :

Digitized by Google

Nil nimium studeo, Caesar, tibi uelle placere
nec scire utrum sis albus an ater homo.

uehementiorem in duobus carminibus Catullus se praebuit in quibus praeter Caesarem Mamurram quoque exagitauit. sunt haec LVII *Pulcre conuenit inprobis cinaedis* et XXVIIII *Quis hoc potest uidere, quis potest pati?* Mamurra, eques Romanus Formiis, in urbe Latii, natus (cf. XXXXI 4 XXXXIII 5 LVII 4 Horatii saturarum I 5 37) Caesaris in Gallia praefectus fabrum fuit. a quo inmensum in modum auro Gallico locupletatus (cf. Friderici Hultschii metrolog. ueter. p. 226 et Ciceronis ad Atticum VII 7 6) profusione et luxuria inmodica infamis fuit : cf. in primis Plinius historiae naturalis XXXVI 6 48 *primum Romae parietes crusta marmoris operuisse totos domus suae in Caelio monte Cornelius Nepos tradit Mamurram, Formiis natum equitem Romanum, praefectum fabrum G. Caesaris in Gallia, ne quid indignitatis desit tali auctore inuenta re. hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius quam Catullus dixit habere 'quidquid habuisset Comata Gallia'. namque adicit idem Nepos primum totis aedibus nullam nisi e marmore columnam habuisse et omnis solidas e Carystio aut Lunensi.* mortuus est Mamurra anno 709/45 extremo. quem annum eius ultimum Carolus Nipperdeius (in prolegomenis quae Cornelio Nepoti anno 1849 a se edito praemisit p. XVII) ex Ciceronis ad Atticum epistularum XIII 52 1 sagaciter detexit. hac enim in epistula mense Decembri medio anni 709/45 scripta Cicero Attico a Caesare se

et L. Marcium Philippum in uillis Puteolanis uisos esse narrauit et hisce uerbis quo modo 'hospes ille grauis' se gessisset descripsit: *ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam* VII *nec quemquam admisit : rationes opinor cum Balbo. inde ambulauit in litore. post horam* VIII *in balneum : tum audiuit de Mamurra : uultum non mutauit. unctus est, adcubuit, ἐμετικὴν agebat.* Manutius uerba obscura *audiuit de Mamurra : non mutauit* ('*uultum*' enim omitti iubet) de Mamurra e lege sumptuaria condemnato, quod iudicium Caesar auctoritate sua confirmauerit, intellexit. cuius opinionem Drumannus (historiae Romanae III 738, 85) refutauit ipse Lambini sententiam probans, qui Catulli in Caesarem et Mamurram carmina coniecit recitata esse, quae dictator uultu tranquillo et aequo animo audiuerit. sed ne hoc quidem uerum esse potest, quoniam quae anno 709/45 Catulli carmina probrosa recitari potuerunt, ea iam dudum Caesari cognita fuerant, cum Catullus iam septem uel octo annis ante mortuus esset, et sine ullo dubio locus ille de nouae tantum rei nuntio intellegi potest. contra omnia bene se habent, si de Mamurrae morte cum Nipperdeio illa intellegimus. quae si probantur, Weichertum uides (in lectionibus Venusinis p. 61), cum Mamurram hunc, quo tempore Horatius quintam primi libri saturam scripsit, etiam tum uixisse coniceret, errauisse.

In carmine igitur LVII Catullus mirum consensum quo Caesar et Mamurra in flagitiis omnis generis insignes essent seuere uituperauit. en habes totum ita ut nos quidem legendum et interpungendum esse censemus.

Digitized by Google

Pulcre conuenit inprobis cinaedis,
Mamurrae pathicoque Caesarique :
nec mirum : maculae pares utrisque,
urbana altera et illa Formiana,
inpressae resident neque eluentur :
morbosi pariter gemelli utrique,
uno in lectulo erudituli ambo,
non hic quam ille magis uorax adulter,
riuales socici puellularum :
pulcre conuenit inprobis cinaedis.

carminis initium poeta ab sententia, ut ita dicam, generali capit, pulcram et miram conuenientiam et congruentiam inter cinaedos intercedere solere : et ilico quasi exempli gratia Mamurram et Caesarem cinaedos nominat : *pathici* enim nomine idem flagitium quod uocabulo *cinaedi* designatur neque eo quicquam noui ad sententiam adfertur : sed poeta orationem uariaturus in uersu altero 'pathici' nomen et ad Mamurram et ad Caesarem referendum adhibuit ut eosdem quos primo uersu cinaedos adpellauerat eo designaret. uerum tamen hominum istorum consensum et familiaritatem rem esse prorsus consentaneam, ut pote quorum uterque plane eisdem uitiis sit conspurcatus : unum tantum inter utrumque esse discrimen, cum non eadem ambobus urbs patria sit : alterum enim Romae alterum Formiis natum esse. ita fere uersum quartum intellegendum esse duco. hoc quidem nego flagitiorum enumerationem ab hoc uersu incipere, ut sensus euadat hic 'primum utrique paria flagitia, alteri urbana alteri Formiana,

Digitized by Google

esse, deinde utrumque morbosum esse, porro . . .', quae Hauptii (in obseruationum criticarum p. 39) sententia fuit. neque id probari potest quod Vulpius arbitratus est Caesarem Romae, Formiis uero Mamurram maculas sibi suas contraxisse, cum totum carmen ad utriusque contubernium intimum spectet. praeterea autem, ut in carmine enarrando pergamus, si patriam diuersam omittamus, utrique omnia communia esse, primum par fratrum gemellum (nam hoc nomine propter nimiam morum similitudinem istos coniunctos esse uideri) certatim muliebria pati, deinde utrumque in eodem lecto lucubratorio (quo utinam ad nefandam libidinem explendam ne abutantur) litterarum, si dis placeat, incumbere studiis parum eruditum, porro utrumque adulterum insatiabilem esse, denique in eisdem puellis amandis riuales esse, neque tamen, ut fieri soleat, riuales sibi inimicos, sed riuales socios, hoc est amicitia inter se consociatos. ideo profecto cinaedis istis bene conuenire. uersus noni explicationem a Scaligero mutuatus sum. neque enim cum Hauptio (in obseruationum criticarum p. 41) facere possum, qui artificiosius quam uerius cum Doeringio 'riualium' uocem ad muliebris patientiae crimen rettulit et 'sociorum' uocabulum 'amatorum' uoce explicauit. ne longior sim cetera alii loco reseruaturus, tantum ad aequabilitatis legem quandam in enumeratione flagitiorum utriusque conspicuam, qua explicatio nostra pulcre commendatur, animum eorum qui legent aduertere liceat. etenim in uno quoque uersuum quattuor, quorum singulis singula utriusque uitia perstringuntur, Catullus uocem aliquam adposuit quo congruentiam inter

ambos intercedentem legentium memoriae iterum atque iterum inculcet. quo consilio ut in uersu sexto *pariter gemelli utrique* in septimo *uno — ambo* in octauo *non hic quam ille magis*, ita in nono uocabulum *socii* ad *riuales* addidit.

Iam ad carmen xxviii explicandum peruentum est, quo acerbius et contumeliosius in toto libro Catulliano uix reperias. incipit ita :

Quis hoc potest uidere, quis potest pati
nisi inpudicus et uorax et aleo
Mamurram habere quod Comata Gallia
habebat ante et ultima Britannia?

interrogationi poeta indignabundus respondet Mamurrae fautorem et patronum, Caesarem, quem ut regem potentissimum sed muliebria patientem uocabulis *cinaede Romule* adloquitur, hoc lubenter passurum esse, neque eidem cordi fore, si ille opibus inmensis elatus libidini suae inmodicae maritis omnibus metuendae quantumuis indulgeret : quae prouidens poeta in uersu decimo in conuitium erupit

es inpudicus et uorax et aleo.

deinde uersus secuntur quattuordecim, qui in editione Lachmanniana ita scripti sunt :

eone nomine, inperator unice,
fuisti in ultima occidentis insula,
ut ista uestra diffututa mentula
ducenties comesset aut trecenties?
quid est alid sinistra liberalitas?
parum expatrauit an parum elluatus est?

Digitized by Google

paterna prima lancinata sunt bona :
secunda praeda Pontica : inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
hunc Galliae timet et Britanniae.
quid hunc malum fouetis? aut quid hic potest
nisi uncta deuorare patrimonia?
eone nomine urbis, opulentissime
socer, generque, perdidistis omnia?

de emendatione horum uersuum non nulla enarrationi nostrae praemittere placet ut doctiorum ingenia instigando iudicia noua de loco difficillimo eliciam : nam quae ipse proferam probe scio non omnibus nominibus certa esse. primum de uersuum quos adposuimus ordine tralaticio quaeritur. cuius de ueritate nemo umquam quod sciam praeter Theodorum Mommsenum dubitauit, qui cum in historiae Romanae III 315 carmen Catulli undetrigesimum in Germanicum conuersum ascriberet, uersus ita ordinauit ut uersus quattuor carminis extremos (21—24) post uersum decimum *es inpudicus et uorax et aleo* insereret. qua in re ueri aliquantum uir ingeniosissimus perspexit nec tamen, ut mihi quidem uidetur, omne uerum. quid uero est quod in ordine uulgato offendat? primum Catullum uersibus 23 et 24 carmen finiuisse uix est credibile. etenim ei cum eis quae antecedunt parum cohaerent. Catullus in uersibus 21 et 22 indignabundus interrogat 'cur igitur, Caesar et Pompei, Mamurram, hominem nequissimum, fouetis? uel potius, ut magis uniuerse interrogem, quid iste praeter opes dilapidandas didicit?' quas interrogationes uides

Digitized by Google

quam inconcinne tertia sequatur huius sensus : 'ideone, Caesar et Pompei, orbem terrarum totum diripuistis?' neque uersus 23 et 24, quia de Caesaris et Pompei direptionibus sunt, idonei esse uidentur quibus carmen in Mamurram directum finiri possit : nonne enim multo magis consentaneum est orationem, quae in carmine primo a Mamurrae opibus uituperandis exiit, eodem in carmine extremo reuerti? neque, si libros Catullianos omittimus, ullum testimonium scriptum adest quo locus quem uulgo uersus bini illi obtinent defendi possit : nam uersus uigesimi quarti imitatio poetae incerti (in Vergilii catal. 3 6 siue in Meyeri antholog. Lat. 103 6) ad quaestionem quam mouimus diiudicandam omnino nihil confert. at grauiora etiam argumenta adsunt quibus uersus duos extremos loco alieno in libris scriptos esse adparet. Caesarem et Pompeium Mamurrae fauere Catullus moleste fert. quorum prior in uersibus quinto nono undecimo, denique una cum Pompeio genero suo in ultimo aperte commemoratur : Pompei praeter uersum ultimum nulla prorsus mentio facta est. nihilo minus tamen indiciis non nullis clarissime patet in prioribus quoque carminis uersibus Pompeium fautorem Mamurrae a Catullo castigatum fuisse. namque et in uersu tertio decimo Mamurra *uestra defututa mentula* nominatur neque 'tua mentula', quamquam Caesar solus antea commemoratus est, et in uersu duodeuigesimo inter praedas a Mamurra confectas Ponticam Catullus adpellat, qua, ut Hauptius rectissime docuit, Pompei praedam a Mithridate reportatam significauit. denique in uersu 21 uerbo plurali *fouetis* par illud Mamurrae fautorum

Digitized by Google

adloquitur, etsi alterum ne uerbo quidem antea designauit. quapropter facile intellegis uoculae *uestrae* in versu tertio decimo inesse propriam significationem neque eam uim de qua supra p. 155 pauca adnotabamus habere posse. his rebus omnibus cogimur ut et Pompeium perinde atque Caesarem in prioribus iam carminis uersibus a Catullo nominatum esse statuamus et hanc Pompei mentionem ante uersum tertium decimum factam esse, ut pote in quo ad illam poeta aperte respexerit. iam si reputaueris uersus undecimum et uigesimum tertium ab eisdem uocabulis *eone nomine* incipere, num dubitare poteris censere illud ipsum uersuum horum initium par errorem scribae archetypi creauisse? qui cum uersum decimum exarauerat, oculos a uersu exempli sui sequenti, qui uulgo uigesimus tertius est, ad eum qui ab hoc tertius erat aberrare siuit. quo errore cognito scriba uersus binos illos prius omissos in fine carminis addidit signo quodam uerum eorum locum indicans. cui ratiocinationi oboediens si uersus disposuisti, oratio carminis recte procedit. iam Pompei indicia ut ita dicam illa habent quo referantur, iam repetitio egregia, quae gradationem quoque aptissimam continet, carmini restituitur, iam denique carmen extremum ab adpendice inepta liberatur. illius uero transmutationis probabilitas eo quam maxime augetur quod scribae librorum Catullianorum in uersibus, quorum cum proximis in primis in initio aut in fine similitudo aliqua erat, conlocandis et scribendis saepe peccauerunt. quam rem exemplis non nullis inlustremus. primum igitur uersus propter similitudinem siue praecedentium siue subsequen-

Digitized by Google

tium uersuum aut in omnibus aut in non nullis codicibus plane omissi sunt. ueluti in omnibus codicibus propter uersum praecedentem simillimum xxxIIII 3 *Dianam pueri integri* et LXIIII 23[a] *progenies, saluete iterum* et propter similem uersum sequentem LXI 95 *prodeas, noua nupta* intercepti sunt, item in omnibus libris sinceris LXXXXII 3. 4 desunt, quia scribae oculi a fine uersus 2 *dispeream nisi amat* ad finem quarti *dispeream nisi amo* aberrauerunt, item in eisdem libris omnibus praeter unum Thuaneum LXII 14 *nec mirum: penitus quae tota mente laborant* non reperitur, ut pote cuius uersus utrimque uicini 13 et 15 a uocabulis inter se similibus (*non* et *nos*), immo in antiquissimo Thuaneo ipso ab eodem uocabulo (*non*) incipiant. deinde totum carmen LXVIIII decem uersuum in Datano et Riccardiano propter huius (*Noli . . . nulla*) et sequentis (*Nulli . . . malle*) carminis simile initium omissum est. simili ex caussa in codicibus plerisque LXIIII 334—337 desunt. praeterea cf. Lachmanni adnotationes ad XXXVIIII 4. 5, qui locus cum nostro optime conparari potest, ad XXXXII 12 LXI 145 LXII 32—38 43—44 54—55 LXIIII 258 LXXXXVIII 2—5. deinde uidemus uersus quos scribae suo loco omiserant postea ab eis loco quodam alieno additos esse : idem quod nos de carmine XXVIIII supra statuimus. huius rei praeclarum exemplum carmen LXXXIIII praebet, cuius uersus secundus et quartus cum eodem uocabulo *hinsidias* concludantur, distichum carminis secundum a scriba archetypi praetermissum est : qui errore cognito in margine iuxta ultimum, ut uidetur, distichum omissa suppleuit (nam post ultimum distichum addere non potuit, quia inter hoc

Digitized by Google

et sequens carmen interstitium nullum relictum erat), unde in omnibus libris inepte ante ultimum distichum inserta sunt. item LXI 123 suo loco nescio qua caussa omissus in omnibus libris post finem strophae additus est. item eiusdem carminis uersus 196—200 propter similem uersuum 200 et 201 exitum prius intercepti postea post stropham sequentem in omnibus libris scripti sunt. denique similia de notissimis illis carminis LV uersibus decem loco suo omissis statuenda sunt. qui cur omissi et cur in eum potissimum quo nunc in libris leguntur locum ab archetypi scriba positi sint probabili, ni fallor, coniectura adsequi possumus. Catullum enim censuerim uersus carminis ita ordinauisse ut decem illi uersus neque post uersum 12 neque post 13, quae Mureti et Lachmanni sententiae erant, sed post uersum quartum decimum *tanto ten fastu negas, amice* sequerentur: qua de dispositione Froehlichius quoque (comment. acad. Monac. v III 244) cogitauit. uersus enim illius uocabulo ultimo *amice* scriba incuriosus ita in fraudem delapsus est ut oculis ad uersum ab illo decimum (u. 32), cuius paenultima uox et ipsa *amice* est, aberrantibus usque ad hunc in scribendo peruenisse opinaretur. quo ordine probato etiam repetitio ualde ingrata uocabuli *amice* in duobus uersibus subsequentibus, quam in restitutione Lachmanniana moleste ferimus, remouetur. considera quaeso ordinem hunc:

13 *sed te iam ferre Herculei labos est:*
tanto ten fastu negas, amice?
23 *non custos si fingar ille Cretum,*
non si Pegaseo ferar uolatu:

Digitized by Google

non Ladas ego pinnipesue Perseus,
non Rhesi niueae citaeque bigae :
adde huc plumipedes uolatilesque
uentorumque simul require cursum :
quos cunctos, Cameri, mihi dicares,
defessus tamen omnibus medullis
et multis langoribus peresus
essem te mihi, amice, quaeritando.
dic nobis ubi sis futurus, ede
audacter, committe crede lucei.

sed cur uersus decem hos post carmen LVIII scriba archetypi conlocauit? res ita se habere uidetur. erroris illius ille sibi non prius conscius factus est quam in carmine LVI scribendo iam occupatus erat. itaque tantum uersuum numerum post ultimum carminis LV uersum quamquam interstitio a proximo carmine separatum addere aut in margine adponere non licebat aut aptum non erat, sed satius esse uidebatur illos pone sequens carmen perscriptum adicere. cum uero in exemplo suo (sicuti in nostris libris Catullianis est) omnes uersus inde ab LVI 1 usque ad LVIII 5 uno uelut tenore perscriptos et nullo interstitio admisso cohaerentes scriba uideret, illis omnibus unum effici carmen putauit ideoque post huius finem, qui interstitio inter LVIII 5 et LVIIII 1 indicabatur, uersus carminis LV prius omissos adposuit.

Sed, ut ad carmen XXVIIII redeam, noua iam quaestio exoritur num uersus 21 et 22 carmen apte concludere possint. quod omnino concedendum est. ut iam supra indicaui, poeta ad ea quae initio carminis de

Mamurra iniuste locupletato dixerat in fine rediit. initio carminis ait omnes homines probos diuitias in Gallia et Britannia partas Mamurrae inuidere, ut pote quas istum luxuria insana confecturum esse omnes prouideant. deinde ad Pompeium et Caesarem conuersus interrogat num totum orbem terrarum ne ultima quidem occidentis insula excepta ea de caussa bellis uexauerint quo commodius Mamurra habeat quod dilapidet. incredibile uero esse quantum ille iam consumpserit. post rem familiarem dissipatam eum praedas Ponticam et Hiberam consumpsisse : nunc Galliae et Britanniae expilandis operam dare. iam uero ita Catullus carmen conclusit ut duas res quas in uersibus ceteris praecipue et adcurate persecutus erat (alteram Mamurram propter effusionem incredibilem opibus possidendis indignum esse, alteram de illo omni modo locupletando Pompeium et Caesarem iniuste et turpiter agere) in uersibus duobus extremis duabus interrogationibus iracundis conprehendat. neque hoc inepte fecit poeta quod alteram interrogationum illarum, quae prae altera in ipsum Mamurram dirigitur, loco secundo posuit, quando quidem totum carmen in Mamurram dedita opera Catullus scripsit, Caesarem autem et Pompeium in transitu tantum attigit. ita uides carmen exordio aptissimo uti neque recte Mommsenum uersus duos 21 et 22 simul cum duobus sequentibus post uersum decimum inseruisse. quae ratio propter tria argumenta falsa esse uidetur. primum enim nullo modo perspici potest cur uersuum horum par loco alieno a scriba positi sint : nam neque in initio neque in fine uersuum illorum quicquam est

Digitized by Google

quo scriba ad eos omittendos inpelli potuerit. deinde ex caussa ea quam supra explicauimus fieri non potuit ut uersus in quo illud *fouetis* est ante uersum 24, in quo Pompeius primum nominatur, legeretur. denique uersibus illis in fine carminis resectis carmen clausula caret. nam uersus uigesimus huius uice fungi non potest, cum aliter atque Mommsenus siue Lachmannum siue Hauptium secutus fecit legendus sit. quo de uersu difficillimo, ut quae sentio dicam, uiri docti ei quorum iudicium plurimum facere solemus eo praue iudicasse uidentur quod non dubitabant quin eum Catullus puris iambis scripsisset. quod dum scribo, quosdam audire mihi uideor temeritatis me accusantes, quippe qui id quod omnium in hoc uersu certissimum sit in dubitationem uocare audeam. quos uelim argumenta haec sedato animo accipiant. quo lubentius illis concedo, si qua emendatione probabili puri iambi restitui possint, hanc cuilibet quae spondeum infert longe esse praeferendam, eo diligentius obseruandum est emendationes in Catulli libro nullas nisi quae pauculis tantum litteris mutatis e lectionibus librorum bonorum efficiuntur probabiles haberi posse : quod qui optima quaeque inuenta cum priorum grammaticorum tum Lachmanni et Hauptii (cf. eius quaest. Catull. p. 9) perlustrauerit uerissimum esse cognoscet. iam uide num emendationes quae ad iambos puros resuscitandos adhuc prouenerunt e numero probabilium sint. in libris igitur Sangermanensi Datano Colbertino Parisino (P_1) Statianis uersus ita legitur *Hunc Galliae timet et Britanniae*, eodem lectiones spectant librorum interpolatorum, in quibus ut

orationi construendae succurratur aut *tellus* (ita in Cuiaciano et Dresdensi) aut *terra* (ita in Parisino secundo Puteano Furiano) post *timet* inculcatum est. in Santeniano et Gudiano secundo numero plurali, ut scribis uidebatur, uocabulorum *Galliae* et *Britanniae* uerbum *timet* adcommodatum est, unde *timent* habent. quapropter omnino cum Lachmanno a lectione *Hunc Galliae timet et Britanniae* proficiscendum est. sed quid uiri docti inde fecerunt? Turnebus *timentque Galliae hunc, timent Britanniae?* Dousa pater *timetque Gallia hunc, timent Britanniae?* Lachmannus *time Britannia, hunc timete Galliae* Hauptius *timete Galliae, hunc time Britannia* G. Hermannus (in Jahnii annal. XXII 305) *timete Galliae hinc, time Britannia* Heysius *eunce Galliae et timent Britanniae?* ut nihil de sententiis harum emendationum partim parum aptis dicam, facile intellegitur quanta uiolentia, qua ex omnibus omnia elici possunt, in uersu hoc emendando grassata sit, cum nisi uocabulis non nullis aut aliter conlocatis aut mutatis aut additis aut omissis puros iambos reficere ne ingeniosissimis quidem grammaticis successerit. qualem uero is qui ductus litterarum, ut par est, premens iambos puros uenatur praedam reportat, Heysii *eunce Galliae et timent Britanniae* luculenter patefacit, quo non uereor ne quis iamborum integritatem tueatur. neque ferri posset, si quis inde temptaret *eumne Galliae et timent Britanniae?* — itaque donec inuento quodam simplici et euidenti puri iambi restituti sunt, aliam uiam ingredi liceat, quoniam in locis grauiter corruptis nihil intemptatum relinqui solet. spondeum igitur semel in uersu illo censemus Catullum

Digitized by Google

admisisse. cuius rei excusationes conplures (nam excusatione utique opus est) inueniri possunt. primum autem adsentimur uiris doctis qui spondeum tolerari posse sibi persuaserunt omnibus eo quod spondeo conpensatum esse putamus iambum primum, quem notum est omnium pedum maxime licentiis obnoxium esse. deinde Catullus tertii quoquè uersus iambum primum spondeo conpleuit. namque nominis Mamurrae syllabam primam longam fuisse Horatii saturarum I 5 37 et Martialis epigrammatum VIIII 59 1 X 4 11 (cf. Hauptii quaest. Catull. p. 18: Lachmannus ad Lucret. p. 36 non recte iudicauit) demonstratur. quo nomine proprio adhibito, quamuis id a natura sua optime excusaretur, cum nihilo minus iamborum integritas uno loco uiolata esset, Catullus facilius puto altero quoque loco a seuera illa lege recedere potuit: cum praesertim lex quam uiolabat metrica non ea esset quae communi poetarum omnium consensu sancita haberetur, sed quam sicut ipse sibi scripserat obseruandam, ita ipse quoque, si caussa neglegendi quaedam aderat, neglegere posset. optimo autem iure poeta a norma seuera hoc loco declinare potuit, quando quidem uersus illi enumeratione quadam grauantur et nominibus propriis abundant et eorum oratio in primis in uersu uigesimo quam maxime exsurgit et concitatur: quae res tres quam saepe poetas Latinos mouerint ut uersibus licentias concederent nuper Lucianus Muellerus (de re metrica p. 133 et sequentibus) subtiliter docuit. si spondeo quem in pedem primum recepturi sumus non obstinatius resistendum esse demonstrare nobis contigit, nihil reliquum est nisi ut coniecturam nostram

Digitized by Google

proponamus et ex carminis sententia defendamus. censemus igitur Catullum ita scripsisse

nunc Galliae timetur et Britanniae,

quam lectionem sensui quem expectamus optime satis facere confidimus. poeta enim, postea quam inde a uersu septimo decimo enumeravit quaecumque Mamurra dissipauit, uersu uigesimo cum memoria bonorum olim dissipatorum timorem coniunxit et cum maxima animi commotione expressit quo tum omnes boni de Gallia et Britannia ab eodem illo expilandis tenebantur. facile uidere licet quam bene uoculae enumerandi *prima* . . . *secunda* . . *tertia* . . *nunc* se excipiant : quam pulcre oratio, quae inde a uersu 17 passiuo modo uerbi (*lancinata sunt*) utitur, passiuo uerbo *timetur* continuetur : quam plene hac emendatione recepta inconcinnitas euitetur quam numerus pluralis personae secundae (cf. Lachmanni Hauptii G. Hermanni Faerni [*hunc Galliae timetis et Britanniae*] emendationes) eo creat quod in uersu sequenti uerbum plurale *fouetis* ad Caesarem Pompeiumque neque ut illa *timete* et *timetis* ad Galliam et Britanniam refertur. deinde casus dandi singulares *Galliae* et *Britanniae* orationi qualem formauimus optime adcommodantur : singulari enim numero opus est, quoniam Catullus in uersu quarto *Comatam Galliam* et *Britanniam* nominauit. tum ab usu sermonis Latini emendatio illa satis commendatur : cf. Lucani Pharsaliae VII 131

aduenisse diem qui fatum rebus in aeuum
conderet humanis et quaeri Roma quid esset
illo Marte palam est, sua quisque pericula nescit

Digitized by Google

attonitus maiore metu. quis litora ponto
obruta, quis summis cernens in montibus aequor
aetheraque in terras deiecto sole cadentem,
tot rerum finem, timeat sibi? non uacat ullos
pro se ferre metus : u r b i M a g n o q u e t i m e t u r.

et Senecae Medeae 885

auidus per omnem regiae partem furit
ut iussus ignis : iam domus tota occidit,
u r b i t i m e t u r.

denique uix est quod longius explicemus quam simplex a ductuum litterarum probabilitate haec sit emendatio multoque simplicior quam, ut exemplis duobus utar, coniecturae Aldinae a. 1502 *hunc Galliae timent, timent Britanniae* et Froehneri (philol. XIIII 583) *hunc Gallia extimescit et Britannia,* quae alioqui uitiosae sunt. efficitur enim illa eo quod *Hunc* in *Nunc* atque *timet* in *timetur* commutatur. quae utraque mutatio facillima est. ut de H et N litteris saepissime confusis taceam (cf. XVII 23 *Hunc* L pro *Nunc* CVIIII 2 *Nunc* D pro *Hunc* LXXV *Huc* uterque pro *Nunc* XXII 9 XXIII 24 LXVIII 152 *Nec* D pro *Haec* LXIIII 385 *Nereus* L pro *Heroum* LXVII 43. 46 *Homine* D pro *Nomine*), adnotandum est alteram etiam coniecturam promptissimam esse : praesertim si statuimus syllabam ultimam uerbi *timetur* in archetypo per notam scriptam fuisse (*timet*²) : quae nota etiam XVII 6 (*suscipiant*²) a scribis neglecta uideri possit. sed illud *timetur* omnibus litteris perscriptum fuisse credere et pro memoriola litterarum binarum amissarum spatium inter *timet* et *et* in libris non nullis relictum adgnoscere praestat.

Digitized by Google

Statius enim *in manu scriptis* inquit '*hunc Galliae timet et Britanniae*'. *sed sic tamen ut inter uerbum 'timet' et id quod sequitur paullum quid desit.* cuius nuntii ueritas interpolatis libris confirmari uidetur, quorum scribae spatium illud ipsum commentis suis expleuerunt. — uersum uigesimum ita ut dixi iam dudum emendaueram, cum me non primum illam emendationem inuenisse casu quodam cognoscerem. ex Iahnii enim annalium LX 329 et postea ex Pleitneri libello de Catulli in Caesarem et Mamurram carminibus (Spirae 1849) p. 3 Froehlichium (in nunt. erudit. Monac. 1846 nr. 131—133) iam eam occupasse uidi : qua re emendationis, ut pote quam duo homines alter alterius nescius reppererint, probabilitas ualde augetur. tamen ea adcuratius explicanda et defendenda supersedere nolui, cum eam quo modo Froehlichius probauerit ignorem : commentationem enim illius illam adire mihi non licuit. his tandem finitis uersus illos quo modo ordinandos et scribendos putamus adponere placet :

Cinaede Romule, haec uidebis et feres?
10 *es inpudicus et uorax et aleo.*
23 *eone nomine orbis, o piissimei*
socer generque, perdidistis omnia,
11 *eone nomine, inperator unice,*
fuisti in ultima occidentis insula
ut ista uestra defututa mentula
ducenties comesset aut trecenties?
15 *quid est alid sinistra liberalitas?*
parum expatrauit an parum elluatus est?
paterna prima lancinata sunt bona :

Digitized by Google

secunda praeda Pontica : inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus :
nunc Galliae timetur et Britanniae.
quid hunc malum fouetis? aut quid hic potest
nisi uncta deuorare patrimonia?

Sed ut post digressionem longiorem in uiam redeam, de carminis xxviiii tempore ne fusius quaerendum sit, Mauricii Hauptii sollertia otium fecit, qui hanc rem in quaestionum Catullianarum pagina 16 et sequentibus tractauit. inde igitur quod Catullus Mamurram ait a Pompeio et Caesare foueri (cf. uerba *quid hunc malum fouetis*) adparet carmen ante apertam utriusque inimicitiam scriptum esse : nam postea inter Mamurrae fautores Pompeius nominari non potuisset. deinde quod a 'socero' et 'genero' Mamurram foueri dixit, conligere licet ante Iuliae, Caesaris filiae unicae, quae Pompeio anno 695/59 nupserat, mortem, h. e. ante mensem Septembrem anni 700/54, illa poetam scripsisse, ut pote cum post hoc tempus Caesar et Pompeius adfinitate non iam coniuncti fuerint. adfinitas enim matrimonio dirempto Romanis dissoluta uidebatur : id quod locis sat multis ueterum scriptorum conprobatur, quos Carolus Halmius in commentario in Ciceronis Sestianam p. 90 conlegit. in primis hi digni sunt qui conparentur : pro Sestio 3 6 *ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem illius necessitudinis et beniuolentiam non ademit.* de oratore i 7 24 *uenisse eodem, socer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur.* pro Cluentio 12 33 *apud Dinaeam, quae tum ei mulieri* (marito uiuo) *socrus erat.* concedendum quidem hanc argumentationem certis-

Digitized by Google

simam non esse, quoniam poetae potissimum Caesarem et Pompeium aduersarios adfinitatis nominibus de temporibus quibus iure adhiberi ea iam desierant acuminis caussa saepius adpellauerunt. cf. Vergilii Aeneidos VI 829

heu quantum inter se bellum, si lumina uitae
attigerint, quantas acies stragemque ciebunt
aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
descendens gener aduersis instructus Eois.

sed prorsus nihil est caussae cur Catullum a communi et adcurato dicendi usu recessisse putemus. quid quod Catullus cum Iuliae aut non aut aliquantulo temporis superstes esset, uix nisi sensu proprio Caesaris et Pompei adfinitatem commemorare potuit. si ita tempus definiuimus post quod Catullus carmen undetrigesimum scripsisse non potest, multo facilius tempus ante quod carmen conpositum esse nequit indicari licet. namque cum in uersu duodecimo ut res confecta expeditionum Britannicarum Caesaris altera utra commemoretur, quam priorem fuisse eo probatur, quod post alteram expeditionem Caesar non amplius Pompei socer fuit (ex Britannia enim in Galliam iterum redituro extremis mensis Septembris diebus anni 700/54 nuntius mortis Iuliae adlatus est, cf. Plut. Caes. 23 Senecae consolationis ad Marciam 14), non ante autumnum anni 699/55 carmen XXVIIII Catullus scripsisse potest. nauigauit enim primum Caesar in Britanniam 'exigua parte aestatis reliqua', ut ipse de bello Gallico IIII 20 narrauit, et 'propinqua die aequinoctii' (cf. IIII 36) illinc rediit. annuum igitur spatium quo carmen XXVIIII scriptum esse potest a mense

Digitized by Google

Septembri anni 699/55 usque ad eundem mensem anni sequentis relictum est. idem tempus adcurata etiam consideratione sententiae uniuersae carminis reperitur. qua doceri uidemur Catullum, cum aliquando de Mamurra Galliae et Britanniae praedatore rumores in primis ualidi ex Gallia Romam peruenerant, tum carmen xxviiii fecisse. atque, si adcuratius definire licet, paullo postea quam de priore expeditione Britannica homines urbani certiores facti sunt, Catullum hoc carmen scripsisse eo lubentius conicio quo diligentiorem in uersibus 11 et 12 expeditionis illius mentionem fecit, et quo crebriores nuntii de diuitiis e Britannia a Caesare et Caesarianis reportatis Romam perferebantur. cf. Suetonii Caes. 47 *Britanniam petisse spe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem interdum sua manu exegisse pondus.* ita si caussas carminis explicas, totum carmen bene intellegi potest : iam uersus quintus et decimus *cinaede Romule, haec uidebis et feres* bonum sensum accipiunt, ut pote quibus Catullus quasi expostulet ut Caesar in posterum Mamurram diripiendo prohibeat. iam uersus septimus, in quo item uerbi tempus futurum legitur, optime se habet. Mamurram enim, si quando is e prouincia diuitiis recentibus onustus reuerterit, omnibus Romae mulieribus insidiaturum esse Catullus prouidet. eodem uersus uigesimus nos ducit, unde quo tempore Catullus illa scripsit, tum Mamurram in Gallia et Britannia expilandis non iam finem sed potius initium tantum fecisse patet. nam uersus ille de timore est quo Mamurrae direptionum caussa aut Galli ac Britanni aut, si nobiscum sentis, de his homines urbani adficiebantur.

Digitized by Google

quo modo uero de rebus praeteritis et confectis timeri potest? qua de caussa errauerunt quotquot carmen hoc post reditum Mamurrae scriptum esse censuerunt: inter quos Mommsenus quoque fuit, qui (histor. Rom. III 315) Mamurram breui ante quam Catullus carmen hoc scripsit aedium in Caelio monte extruendarum caussa Romam uenisse coniecit. — huic temporis definitioni nihil rerum quae praeterea hoc in carmine commemorantur obstat. etenim praedam Hiberam 'quam scit amnis aurifer Tagus' iam Isaacus Vossius, cui interpretes recentiores astipulati sunt, rectissime iudicauit Caesarem propraetorem Hispaniae a medio fere anno 693/61 usque ad medium sequentem in primis bello Lusitanico sibi conparauisse. cf. de hac praeda locos quos Drumannus historiae Romanae III 188. 189 congessit. cuius praedae Tagum fluuium, qui per medios Lusitanos fluit, bene memorem esse Catullus aptissime finxit: contra quam absurde locutus esset, si aut bellum Hispanicum anno 705/49 a Caesare cum Pompei legatis L. Afranio et M. Petreio gestum, quae Parthenii et Mureti sententia est, aut bellum Hispanicum quod anno 709/45 in Pompei filios egit, quae Scaligeri opinio est, significare uoluisset: utrumque enim bellum, cum illud apud Ilerdam ad Sicorim, qui in Iberum effunditur, sitam et hoc apud Mundam, quae urbs a Baeti fluvio non ita longe afuit, conficeretur, in regionibus a Tago longissime remotis gestum est. ceterum etiam temporum ratio illorum sententiis omnino refragatur. tantum de praeda Hispanica. de Pontica praeda item uariae sententiae propositae sunt. namque Parthenius Palladius Muretus Scaliger illam de

Digitized by Google

praeda ex Ponto Pharnace superato anno 707/47 reportata interpretati sunt : quam opinionem et ipsam uel temporum rationes plane euertunt. contra Isaacus Vossius de lucro et emolumento illam intellegi uult quod Caesar e Bithynia ex contubernio M. Minucii Thermi propraetoris Asiae et ex familiaritate Nicomedis anno 673/81 et sequentibus rettulerit. quocum quodam modo Mommsenus historiae Romanae III 315 sensit, qui adcuratius definiendo praedam ex Mitylenarum expugnatione anno 675/79 relatam, cuius Caesar in praetoris Bithyniae et Ponti exercitu praefecti militum munere functus particeps fuerit, indicatam esse censuit. contra Vossium autem Mauricius Hauptius (quaestt. Catull. p. 18) recte adnotat primum Ponticam illam praedam uocari, non Bithynicam, deinde praedae nomine illud emolumentum eo minus recte poetam dicturum fuisse, quo magis propria in eis quae secuntur illius uocabuli significatio obtineatur : denique illa prima stipendia cum Caesar fecerit annis ab u. c. 673/81 et 674/80, nimium interuallum interiectum esse inter hanc praedam et eam quae proxime commemoretur, Hiberam. eadem fere in Mommseni sententiam dicenda sunt : in primis quo iure Mitylenensis praeda Ponticae nomine designari possit non dispicio : nisi forte quis nomen illud eo explicare uelit quod praeda illa a praetore, ut Mommsenus ait, Bithyniae et Ponti facta sit. sed ne haec quidem argumentatio ferri potest, cum M. Thermus, cuius sub inperio Caesar tum militauit, non tam Bithyniae et Ponti quam Asiae prouinciae praetor fuerit : id quod Mommsenus ipse II 332 indicauit. et ne potuit quidem M. Thermus

14

annis illis prouinciam Bithyniam et Pontum administrare, cum quinquennio demum post anno 680/74 Nicomede III mortuo Bithynia propria in prouinciae formam redacta et sedecim demum annis post anno 691/63 Mithridate uicto et mortuo Paphlagoniae parte aliqua (cf. Schoenemannus de Bithynia p. 2) addita prouincia Bithynia et Pontus instituta sit. itaque hac quoque sententia inprobata in coniectura ab Hauptio proposita nobis adquiescendum est. *mihi quidem*, inquit uir egregius, *praeda Pontica nulla uidetur esse alia quam diuitiae illae maximae quas Pompeius ex bello Mithridatico reportauit atque magnificentissimo triumpho anno 693/61 populo monstrauit.* hanc praedam a Pompeio factam Catullus eo aptius commemorauit quod Mamurram inmodice locupletatum esse et Caesari et Pompeio crimini et uitio uertit. neque temporum ordo in Pontica et Hibera praeda enumeranda confunditur. nam Pompeius anno proximo iam reuersus ultimis mensis Septembris diebus anni 693/61 triumphauit, Caesar sequenti demum anno medio ex Hispania praetura functus rediit. denique profecto Catullo, cum anno 699/55 hoc carmen scriberet, maxime uerendum fuisset ne uersus ille male intellegeretur, si in carmine Pompeium uix minus quam Caesarem castigante nomine praedae Ponticae ita usus esset ut non illam praeclarissimam et omnibus notissimam Pompei praedam sed nescio quam ualde obscuram nomine Ponticae uix et ne uix quidem dignam artificiosius et contortius adpellauisset.

'Socer generque' eidem et eorum deliciae Mamurra praeter carmen XXVIIII in carmine CXIII quoque partim

Digitized by Google

commemorari partim castigari uidentur. quod carmen quo obscurius et difficilius ab interpretibus iure ac merito semper habitum est, eo adcuratiorem disquisitionem requirit. quae ut recte instituatur primum de carminis uerbis constituendis pauca disserenda sunt. in codicibus igitur bonis carmen CXIII hoc modo conceptum est :

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
mecilia : facto consule nunc iterum
manserunt duo, sed creuerunt milia in unum
singulum. fecundum semen adulterio.

horum uersuum duobus locis altero uersus secundi *mecilia* altero uersus quarti *singulum* offendimur : sed quarti uersus mendum ab Italis grammaticis, qui *singula* correxerunt, iam dudum sublatum est. aliter de uersu secundo res conparata est, qui mirum quantum interpretes torserit. quorum commenta omnia enumerare et refutare cum longum est tum piget. hoc solum adnotamus fere omnes in corrupta *mecilia* uoce uocabulum aliquod a stirpe moechandi deriuatum reconditum esse putauisse, unde '*moechi, illo*' '*moechi, illi ah*' '*moechidii*' '*moechilli ah*' '*moechulei*' '*moechi : illo at*' '*moechari*' coniecerunt omnia nihili aestimanda. neque quicquam in Vossii quam ex codice interpolato recepit lectione *Caecilio facto consule nunc iterum* laudari potest nisi quod in corruptela librorum bonorum *mecilia* nomen proprium inesse ea indicatur. hoc enim uerissimum est. atque Lachmannus primus intellegens in codicum lectione nomen feminae cuiusdam latere coniecturam *Maeciliam*

14 *

proposuit ab Hauptio et Heysio adprobatam et receptam. qua emendatione uir clarissimus adgnouit et concessit poetam non tam in uniuersum de adulteriis breui tempore mirum quantum numero auctis loqui quam certam quandam feminam certumque par adulterorum in hoc carmine cauillari: id quod Catulli ingenio atque consuetudini a sententiis generalibus et nudis ualde abhorrenti unice aptum est. sed singula adcuratius perpendamus. 'olim', inquit poeta, 'adulteri duo cum Maecilia rem habebant : flagitium sat graue : sed quid nunc dicamus, cum non solum duos istos sed praeterea innumerabiles alios cum ea adulterare uidemus'. etenim haec fere Catullus in uersu tertio dicit

> *manserunt duo : sed creuerunt milia in unum singula.*

manserunt duo h. e. cum Maecilia moechari hodie quoque solent, sed non soli : numerus enim Maeciliae adulterorum creuit et adeo quidem creuit ut hodie duo milia numerentur, quasi in alterum utrumque mille adulterorum succreuerit. at unde illi creuerint nos interrogamus. poeta respondet *fecundum semen adulterio* : itaque uti planta semine suo excrescat, ita adulteros ex adulterii semine creuisse. adulterium autem duplex, cuius ex semine adulterorum duo milia progerminauerint, illud a duobus illis cum Maecilia exercitum fuisse : quo corruptam et libidinibus inpuris initiatam mulierem iam cuilibet se prostituere. haec, nisi fallor, carminis totius ratio ac sententia est. at illi duo adulteri quinam fuerunt? cui interrogationi quid respondendum sit dubium esse ne-

Digitized by Google

quit. Caesar et Mamurra, inquam, par illud fuerunt: id quod non nulli uiri docti multo prius quam illud Maeciliae nomen inuentum est iure optimo adfirmauerunt. etenim iam Scaliger: *si historia* inquit *quaedam hic intellegeretur, de solis Mamurra et Caesare tantum sermo esset, ut illos moechorum signiferos dicat fuisse.* idemque uel Froehlichius intellexit, etsi praeterea de hoc carmine in commentationum academiae Monacensis VI II 265 et V III 274 incredibilia praecepit. uerum enim uero quid de Maecilia illa statuendum? omnia sunt obscura. neque enim quicquam de femina gentis huius quadam memoriae proditum est cuius aetas et mores cum eis quae in hoc carmine leguntur quodam modo congruant. ex nostro enim carmine Maeciliam primum cum Caesare et Mamurra solis adulterasse sed postea praeter illos aliis quibuslibet se prostituisse conligitur. sed de Maecilia ita morata nihil nobis relatum est. nihilo minus tenebras has depelli posse non desperamus. Lachmannus enim cum e codicum scriptura *mecilia* lectionem *Maeciliam* reperiret, emendationem loci huius egregie incohauit quidem neque tamen perfecit: id quod Carolo demum Pleitnero contigit, qui etsi in eis quae de Catulli carminibus in Caesarem et Mamurram scriptis anno 1849 Spirae atque de Catulli epithalamiis anno 1858 Dillingae edidit, plerumque insigniter ariolatus est, tamen non nullos locos haud inscite tractauit, quorum in numero hunc quoque de quo exposituri sumus duco. Pleitnerus igitur (in programmatis Spirensis p. 22. 23) Pompei consulatus non solum ad annos designandos sed etiam cum acumine et subtilitate quadam a poeta nominatos esse arbitratus

Digitized by Google

pro librorum *mecilia* legendum esse *Mucillam* coniecit, quo nomine Muciam Pompei uxorem tertiam designatam esse uult. et primum si litterarum ductus consideramus, Pleitneri correctura ad modum facilis, deinde a uocabuli formatione et usu loquendi satis tuta est. sicuti enim *Domitilla* a *Domitia Claudilla* a *Claudia Terentilla* a *Terentia Liuilla* a *Liuia Octauilla* ab *Octauia* uel apud Catullum ipsum xxxxv 13 *Septimillus* a *Septimio* manant, ita *Mucilla* a *Mucia* deriuatur. neque uocabuli deminutio offendit, ut pote quam Catullo ualde placuisse aliis exemplis constet : praesertim cum ipso hoc loco forma deminutiua cum contemptu quodam aptissime usurpata uideri possit. et nomina propria quidem Catullus praeter *Septimilli* nomen, quod modo commemoraui, et xii 17 xxxxvii 3, quibus locis *Veranniolus* pro *Verannio* legitur, et LVIIII 1 deminutione adfecit, ubi Caelium Rufum contemptim deminuendo *Rufulum* adpellat (cf. supra p. 88). similiter Antonius in epistula quam de Octauiani adulteriis scripsit mulieres quibuscum hic rem habuit deminutiue nominauit, cf. Suetonii Octau. 69 *quid te mutauit? quod reginam ineo? uxor mea est. nunc coepi an abhinc annos nouem? tu deinde solam Drusillam inis? ita ualeas uti tu, hanc epistulam cum leges, non inieris Tertullam aut Terentillam aut Rufillam aut Saluiam Titiscentiam aut omnes. anne refert ubi et in quam arrigas?*

Sic a forma emendatio Pleitneri satis commendatur : reliquum est ut quaeramus num a rerum quoque memoria (id quod principale est) simpliciter et apte defendi possit, hoc est num quae de Mucia memoriae tradita sunt cum eis quae carmine CXIII docemur bene

Digitized by Google

conspirent. inuestigandum igitur primum num Caesar et Mamurra cum Mucia adulterauerint. atque Caesarem macula hac se contaminauisse inter omnes constat. cf. Suetonii Iulii 50 *pronum et sumptuosum in libidines fuisse constans opinio est plurimasque et inlustres feminas corrupisse : in quibus Postumiam Seruii Sulpicii Lolliam Auli Gabinii Tertullam M. Crassi, etiam Gn. Pompei Muciam. nam certe Pompeio et a Curionibus patre et filio et a multis exprobratum est quod cuius caussa post tres liberos exegisset uxorem et quem gemens Aegisthum adpellare consuesset, eius postea filiam potentiae cupiditate in matrimonium recepisset.* Pompeius ex Asia rediens prius quam Romam aduenit extremis diebus anni 692/62, id quod ex Ciceronis ad Atticum epistularum I 12 3 adparet (cf. Drumanni historiarum Romanarum IIII 478), Muciae diuortium nuntiauit : adultera mulier postea M. Aemilio Scauro homini multis ex caussis infami, cuius sororem Aemiliam ante Muciam Pompeius Sulla iubente anno 672/82 in matrimonium duxerat, anno fere 696/58 nupsit. itaque Caesarem cum Mucia adulterasse exploratum est : de eodem flagitio Mamurrae nihil relatum, sed quid prohibet quo minus ei idem atque Caesari scelus inputemus, quando quidem Caesari et Mamurrae tam pulcre conueniebat ut *riuales socii puellularum* essent? (cf. supra p. 190).

Neque tempus quo adulteria cum Mucia exercere Caesar et Mamurra coeperint nos latet. Catullus ait *consule Pompeio primum duo solebant Mucillam*, hoc est anno 684/70, quo anno Caesar fere tricenarius fuit. at probabile non est iam illo anno Pompei consulari

Caesarem et Mamurram cum Mucia rem habuisse. nam Pompeius cum Caesarem Muciae adulterum Aegisthum adpellaret, hoc eo solum sensu facere potuit ut se ipsum cum Agamemnone diu olim et longe a patria et uxore absente conpararet. unde conligendum est Pompeium, cum Caesar eius uxori insidiaretur, a Roma diu et longe afuisse. sed anno 684/70, quo primum consul fuit, Pompeius Romae uixit neque alibi duobus annis sequentibus. sed cum uere anni 687/67 ad piratas fugandos Roma profectus esset, (si a breui commoratione illo anno facta discesseris, de qua Drumanni historiae IIII 410 uideas) non ante anni 693/61 initium illuc rediit : cuius temporis partem longe maximam in Asiae minoris regionibus remotioribus commoratus est. atque hac diuturna absentia Pompei Caesar et Mamurra ad Muciam corrumpendam abusi sunt. quae tempora quamquam cum tempore a Catullo indicato non adcurate congruunt, tamen nostrae sententiae minime officiunt. cuius defendendae caussa tantum abest ut Pompeio non dum in Asiam profecto par adulterorum occulto et postea demum illo Roma absente apertius rem cum Mucia instituisse dicamus, ut poetam, cum anno 699/55 Pompeio iterum consule pristinam Pompei uxorem Muciam libidinibus in dies magis libere et inpudice se dedere reputaret et adulterii illius, quod diuortii Pompei et Muciae caussa fuerat, memoriam recoleret, illud prius tempus significaturum cogitationum consociatione facillima promptissimaque ad Pompei priorem consulatum commemorandum relapsum esse et triennii indiligentiam in quindecim annorum summa non ita magnam committere quam con-

Digitized by Google

sulatus prioris, quem in hac re nominari orationis concinnitas quaedam commendabat, mentionem recusantem adcurata temporis definitione uti maluisse statuamus.

At iam noua quaestio nobis exoritur. quaeritur enim num Mucia adeo a uirtute et castitate matronam decente desciuerit ut distichum epigrammatis CXIII alterum de adulteris permultis quos ad se adlexerit iure ac merito in eam dictum esse credere possimus. sed longiore disquisitione uix opus est. mulierem, quae eo inpudicitiae semel processit ut fidem uiro addictam adulterio satis palam instituto sceleste uiolaret, non iudicabimus ab iterando eodem flagitio abstinuisse : praesertim cum ea a Pompeio repudiata M. Aemilio Scauro, uiro et ipsi multis nominibus inquinato, nupsisset et temporibus uiueret corruptissimis, quibus matrimonii sanctitas a longe plurimis hominibus despiciebatur : quapropter uel sine testimoniis adcuratis de nostrae explicationis ueritate non dubitaremus. at tamen testimonium insigne praesto esse uidetur quo illud quod ratiocinando conclusimus pulcre confirmatur. Valerius enim Maximus memorabilium VIIII 1 8 haec narrat : *aeque flagitiosum illud conuiuium quod Gemellus, tribunicius uiator, ingenui sanguinis sed officii intra seruilem habitum deformis, Metello Scipioni consuli* (quem a kalendis demum Sextilibus anni 702/52 Pompeius consul sine conlega conlegam sibi adiunxerat) *ac tribunis plebis magno cum rubore ciuitatis conparauit. lupanari enim domi suae instituto Muciam et Fuluiam cum a patre tum a uiro utramque inclitam et nobilem puerum Saturninum in eo prostituit.* Muciam a Valerio commemoratam uxorem Pompei fuisse

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

Muciam Pompei in loco Valerii intellegi non posse, ut pote quae anno 702/52 aetate prouectior fuerit quam ut tum ad illud conuiuium libidinis explendae caussa institutum inuitari potuerit. quae de Muciae aetate conici possunt haec sunt. Mucia anno 674/80 aetate nubilis fuit : tum enim Pompeio nupsit : quo anno si annos sedecim eam natam fuisse sumimus, anno 702/52 annum aetatis quadragesimum quartum egit. quae dum considero, non dubito contendere Teuffelii reprehensionem aliis argumentis deficientibus sententiae nostrae non obstare, praesertim cum inde quod Mucia etiam tum post pugnam Actiacam in uiuis fuit (cf. Drumanni hist. Rom. IIII 557) illam Pompeium anno 674/80 ipsum adulescentem adulescentulam in matrimonium duxisse probabile sit. ne uero res ipsa nimis incredibilis uideatur, etiam facinus illud alterum, quod illi Valerius Maximus proxime anteposuit, hoc loco memoria repetere liceat : *Publii Clodii* (anno 692/62 sacrorum Bonae Deae pollutorum rei) *iudicium quanta luxuria et libidine abundauit? in quo ut euidenter incesti crimine nocens reus absolueretur noctes matronarum et* [illegible] *scentium* [illegible] *summa empta* [illegible] *iudici* [illegible]
cf. Ciceron [illegible] tular [illegible]
praeter [illegible] rum [illegible]
di [illegible]

Publio Clodio nupsit, postea Clodio a. d. xiii kal. Febr. anni 702/52 occiso a G. Scribonio Curione ducta est, denique postea quam Curio in Africa anno 705/49 mortem oppetiuit, anno 708/46 cum M. Antonio matrimonio se iunxit, in quo anno 714/40 mortua est. ac ne quis nobis opponat Fuluiae mores a libidinibus exercendis longius afuisse quam ut illi cenae eam adfuisse ueri simile sit, ad Octauiani Augusti epigramma animum eorum qui legent attendere satis habemus, quod Martialis epigrammati suo uigesimo libri xi inseruit.

Quod futuit Glaphyran Antonius, hanc mihi poenam
Fuluia constituit, se quoque uti futuam.
Fuluiam ego ut futuam? quid si me Manius oret
pedicem, faciam? non puto, si sapiam.
'Aut futue aut pugnemus' ait. quid quod mihi uita
carior est ipsa mentula? signa canant.

iam uide quam bene de carmine Catulliano omnia conspirent. Catullus anno 699/55 de adulteriis innumerabilibus eiusdem Muciae queritur quae tribus annis post anno 702/52 illud flagitium, quod Valerius Maximus narrauit, foedissimum sine rubore commisit.

Reliquum est ut de una re pauca addamus. supra enim duos illos Muciae adulteros, quorum mentionem Catullus fecit, Caesarem et Mamurram fuisse coniecimus. praeterea ex uersu secundo *facto consule nunc iterum* carmen cxiii anno 699/55 scriptum esse patuit. sed quid tum de uersu tertio fiet, cuius initium hoc est *manserunt duo*, quae uocabula, cum sensum totius carminis obiter supra respeximus, ita fere interpretanda uisa sunt:

Digitized by Google

'hodie quoque duo eidem cum Mucia rem habere pergunt'? namque anno 699/55 Caesar et Mamurra (cf. supra p. 187) in Gallia et Britannia bellauerunt. quo igitur modo Catullus Caesarem et Mamurram Roma absentes mansisse adulteros anno 699/55 dicere potuit? hoc satis simpliciter explicari posse puto. uerba enim illa non nimis interpretando premenda sunt, quippe quorum sensus latius pateat. etenim pro duobus adulteris, quibus olim fauisset, Muciam tum duo milia secum habuisse, hoc est quod poeta maxima cum ui in hoc carmine eloqui uult. itaque illud *manserunt duo* nihil ad rem principalem conferens in transitu solum poeta addidit, atque magis in uniuersum ad consuetudinem adulterandi quam ad Muciae adulterium referri uoluit, quasi ne quis duos illos adulteros a foeda sua consuetudine crederet umquam abstinuisse. qui quo magis insatiabiles in explendis libidinibus erant, eo maiore acerbitate Catullus uocabula illa inserere potuit.

E carminibus eis quibus Catullus Caesarem ipsum adgressus est unum reliquum est ut explicemus, quinquagesimum quartum. quo de carmine digna sunt quae adferantur Mureti uerba haec : *hos quidem uersus 'nisi Sibylla' ut ille ait apud Plautum Pseudolus* (u. 25) *'legerit, interpretari alium posse reor neminem'. omnino constat fragmenta esse diuersorum epigrammatum, sed ita lacera ut non sperem umquam intellectum iri. uetat autem Hippocrates desperatis adhibere medicinam.* similiter Turnebus (aduersar. XXI 26) iudicauit. *omnia* inquit *in eo epigrammate obscurissima sunt, ut qui lucem eis adferat Cimmerias tenebras inlustrare uideatur.* — Lachmannus

Digitized by Google

et Hauptius post uersum tertium et quintum lacunae signa posuerunt. Antonius Parthenius e uersibus his septem duo fecit carmina (u. 1—3 et u. 4—7), quorum utrumque mutilum uel lacunosum esset. fere eadem nuper Pleitnerus incredibilia insuper alucinatus (in libello quem supra citaui p. 17) et Rossbachius coniectauerunt. neque tamen de carmine mutilo, ne dicam de duobus carminibus, cogitare necesse habemus, dummodo ne ideo quod ad quos homines et quas res poeta in hoc carmine respexerit ignoramus, superbius negemus uersus illos coniungi et intellegi posse. neque enim ullum uestigium in libris manu scriptis est quo ratio illorum uirorum doctorum defendatur. nam argumentum quo lacunam post uersum primum indicatam Rossbachius defendit (ad uersus enim L 16 et 17 in libris omnibus post LIIII 1 falso iteratos prouocauit) futile est : id quod is qui caussas huius repetitionis et similia exempla (cf. LXVIII 16 post eiusdem carminis u. 49 et LXVII 21 post LXIIII 386 falso insertos et Hauptii quaest. Catull. p. 43) considerauit facile concedet. neque eo quod in libris Catullianis post LIIII 5 interstitium est, qua re Parthenius in sententia sua defendenda usus est, diuisio uersuum priorum et posteriorum commendatur : nam interstitia saepissime in libris Catulli locis alienissimis sunt, quam rem uno luculento exemplo inlustrare lubet : ab initio enim carminis LII usque ad finem carminis LV uersus omnes duobus tantum interstitiis inter se separati sunt, quorum alterum post LIII 4 alterum post LIIII 5 extat.

Cum Scaligero igitur Vulpio Doeringio Froehlichio, ceterum in carmine hoc emendando nugatori intolerabili,

Digitized by Google

Heysio aliis uersus illos ita fere in unum carmen coniungendos esse arbitramur.

Othonis caput oppido pusillum,
Heri rustica semilauta crura,
subtile et leue peditum Libonis,
si non omnia, displicere uellem
tibi et Fuficio, seni recocto :
irascere iterum meis iambis
inmerentibus, unice inperator.

in uersu primo *est*, quod in libris post *oppido* scriptum est, cum omnibus uiris doctis quibus carmen lacunis carere uidetur, eo citius reieci quo saepius uerbum substantiuum scribae locis alienis addiderunt : cf. apud Catullum LXXXIIII 5 lectionem multorum librorum *eius est* pro *eius* et XXXVIII 1. 2, ubi librarii, post quam archetypi *malest* non intellectum in *male si* corruperunt, *male est si* exarauerunt. praeterea nihil nisi aperte corrupta emendauimus. in uersu secundo eodem iure quo in quinto uiri docti plurimi ex librorum *sufficio* fecerunt *Fuficio*, equidem ex librorum *Et eri* uel *Et heri* Herium quendam, quod nomen apud scriptores et in titulis antiquis saepius conparet, Catullo restitui. ibidem pro *rustice* librorum cum Turnebo Vossio Hauptio Heysio *rustica* scripsi. Sed quid tandem Catullus hoc carmine uult? Catullus non nulla dicit de quibus fore ut iterum sibi unicus ille inperator irascatur prouidet : 'iterum', quia Caesar, ut iam Victorius (uariar. lectt. XXII 15) uidit, prius undetrigesimi carminis caussa Catullo acriter succensuerat : id quod et Suetonii testimonio (Iul. 73 *Catullum, a quo*

Digitized by Google

uersiculis d e *M a m u r r a perpetua stigmata inposita non dissimulauerat*) et adpellatione *unice inperator*, qua etiam xxviiii 11 poeta non sine acerba cauillatione usus erat, adfatim probatur. uidemus igitur Catullum carmen hoc post undetrigesimum, ut uidetur, anno 699/55 extremo scripsisse. qualia autem sunt illa quibus iram Caesaris prouocare conatur poeta? Othonis igitur caput et Herii crura et Libonis peditum inridens poeta Caesari et Fuficio cuidam obiecit quod cum tam deformibus homunculis familiaritatem habere uellent. Otho autem, ut iam Vulpius intellexit, et Libo una cum eo quem Herium nominauimus cinaedi fuerunt, quibuscum Caesar et Fuficius consuescere solebant : id quod e caussis conpluribus conligi potest. primum cum a Catullo uni cuique trium illorum hominum macula quaedam c o r p o r i s attribuatur, ad c o r p o r i s uoluptatem quandam consuetudinem illam spectauisse ueri simillimum est. deinde Fuficius per ironiam 'senex recoctus' adpellatur, hoc est senex, ut ita dicam, reiuuenescens, qui contra senectutis decentiam amores iuueniles sectatur : cf. de hac recoquendi usu praeter Ciceronem de senect. 23 83 (u. Victorii uariar. lectt. v 6) Valerium Flaccum vi 444 Quintilianum vii 6 7 Horatium satur. ii 5 55 (quem ad locum uide quae Teuffelius p. 136 adnotauit) in primis Petronium apud Diomedem (iii p. 517)

anus recocta uino
trementibus labellis.

quam mulierem senem sicuti uinum, ita amor Fuficium recoxit. denique id quoque alicuius momenti hac in re

Digitized by Google

est quod etiam in reliquis carminibus quibus Caesarem adgressus est Catullus in primis libidinum illius intemperantiam uituperauit (u. XXVIIII 5 *cinaede Romule, haec uidebis et feres* 10 *es inpudicus* LVII *Pulcre conuenit inprobis cinaedis* cet. CXIII *Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant Mucillam*) : quapropter eo ualde inclinamus ut deformitatem trium exoletorum Caesaris, in scortis eligendis non ita morosi (cf. Cassii Dionis XXXXII 34 Drumanni III 741), et Fuficii, cui perinde atque Mamurrae cum inperatore unico pulcre conueniebat, hoc carmine derisam esse censeamus. quis Fuficius ille fuerit ignoratur. unus de quo in historia temporum illorum relatum est G. Fuficius Fango est, quem Cassius Dio (XXXXVIII 22), qui de eius Africarum prouinciarum administratione, de bello infelici quod cum T. Sextio gessit, de eius morte uoluntaria anno 713/41 facta narrauit, ex milite gregario ait senatorem factum esse. quem si forte Caesar praeter Mamurram socium libidinum suarum alterum sibi adsumpsit et ut Ventidium Bassum, olim mulionem postea Caesaris beneficio et ipsum senatorem (in quem ridicula illa phaseli Catulliani imitatio in Vergilii catalectis scripta est), honoribus cumulauit, de eodem fortasse quispiam cogitare uelit, etsi Fangonem illum, qui anno 713/41 etiam tum apud exteros exercitui praefuit et strenue bellauit, non ita ueri simile est anno 699/55, quo Catullus carmen LIIII scripsit, iam 'senem' fuisse. sed obscura haec relinquere intacta omnino praestat.

Iam ad carmina conuertamur quae poeta in Mamurram solum direxit. in his omnibus (sunt autem

numero quattuor LXXXXIIII CV CXIIII CXV) Catullus Mamurram nomine ficto 'Mentulae' designauit. quae res certissima et iam pridem a grammaticis plurimis intellecta et probata est. quorum e numero Muretum Turnebum (aduersar. XIIII 8 III 13) Scaligerum Passeratium (p. 76) Vossium Vulpium Doeringium Silligium Bernhardium (in histor. litt. Roman. p. 240 not. 167) Pleitnerum Heysium Iungclaussenum nomino. unus qui nostris temporibus se dissentire edixit Froehlichius fuisse videtur, qui in commentationibus acad. Monac. VI II 269 in omnibus ad Mentulam scriptis carminibus Catulli ne leuissimum quidem uestigium Mamurrae adparere pronuntiauit. quae sententia quam falsa sit ilico patebit. carmina CXV et CXIIII de diuitiis Mentulae inmensis sunt: Mamurram maximum in modum a Caesare locupletatum esse iam supra p. 187 praeter alia testimonio Catulli ipsius usi (XXVIIII 3. 4) demonstrauimus. deinde in carmine CXIIII luxuria et profusio Mentulae inmodica perstringitur, qua quantascumque opes conficiat: eodem uitio Mamurram se maculasse uersus Catulli XXVIIII 16 et sequentes atque nomen 'decoctoris Formiani', quo Catullus eum inrisit (cf. XXXXI 4 XXXXIII 5), satis demonstrant. in carmine CV Mentulam malum poetam Catullus cavillatur: iam considera quae de Mamurra et Caesare itidem malis poetis (cf. de Caesaris carminibus etiam dialogum de orator. 21 5) Catullus in uersu septimo carminis LVII ait

uno in lectulo erudituli ambo.

denique in CXV 7. 8 et LXXXXIIII Mentulae inpudicitiam et uehementiam libidinis uenereae Catullus uituperauit:

Digitized by Google

Mamurram autem in his quoque nequitiis nulli cessisse docent multi Catulli uersus (cf. XXVIIII 7. 8 LVII CXIII). ubi maior quaedam uitiorum inter duos homines congruentia inueniri potest quam qualis inter Mentulam et Mamurram extat? at quid nominum diuersitate faciamus? ipsa nominis Mentulae natura sententiae a nobis defensae quam maxime fauet. etenim nomen Mentulae, cuius exemplum alterum in titulis antiquis uel apud reliquos scriptores frustra requisiueris, ad hominem salacitate infamem designandum fictum esse sole clarius est. quod si uerum est, sub falso Mentulae nomine Mamurram latere propter morum eorum similitudinem dubitari non posset, etiam si id certis argumentis non demonstraretur. quae partim inde capimus quod a Catullo XXVIIII 13 Mamurra ipse *ista uestra* (Caesaris et Pompei) *defututa mentula* dicitur adpellatiuo quidem nomine usurpato, sed ita tamen ut quo modo inde ad nomen proprium inueniendum poeta deuenerit bene cognoscatur, partim ex uersu carminis CXIIII primo *Firmanus saltu non falso Mentula diues*, qui adcurate tractandus est. qui igitur secum reputauit Mamurram Formiis, urbe Latii, oriundum bis a Catullo 'decoctorem Formianum' adpellatum et de eodem 'maculas illas Formianas' (cf. LVII 4 et supra p. 189) dictas esse, is facere non poterit opinor quin 'Firmanum Mentulam' ad 'Formianum Mamurram' referat. qua argumentandi ratione moti uiri docti multi, ueluti Scaliger Passeratius Vulpius Doeringius Nobbius (de metris Catulli II 19) Silligius Heysius, quibus (si Mureto ad CXIIII 1 fides est) Itali aliquot librorum interpolatores iam praeiuerunt, pro *Firmanus* librorum

integrorum omnium *Formianus* scripserunt et praeter Heysium omnes ad s a l t u m Mentulae rettulerunt. quorum sententiam Vossius (obseruationum p. 341) inprobauit : *quod Formianus* inquit *fuerit Mamurra, id nihil ad rem facit, cum supra* (xxviii) *Mamurram liberalitate Caesaris consecutum fuisse dixerit quidquid Gallia et Britannia uncti haberet, ut opus non sit diuitias eius natali tantum includere solo.* contra multo rectius de sententia huius uersus Scaliger iudicauerat. *Mamurra* inquit *non Firmanus sed Formianus fuit, quamquam et praedia potuit habere in agro Firmano. sed hoc esset nugari. nam cum constet Formiis natum Mamurram, cur alium illi praedium aut saltum dabimus et suum illi auferemus?* uerum tamen haec quaestio de Mentulae saltu aut Formiano aut Firmano iam nihil ad nos, postea quam uersus de quo disputamus uitium alterum Lachmannus, quem Hauptius Rossbachius Heysius secuti sunt, sustulit eumque uerissime ita constituit ut nomen illud, siue *Firmanus* siue *Formianus* scribere placet, non tam ad saltum quam ad ipsum M e n t u l a m referendum sit. at utrum librorum sincerorum lectio *F i r m a n u s Mentula* an coniectura *F o r m i a n u s Mentula* praestat? quamquam, si obiter loci sensum consideramus, facile coniecturam prae librorum scriptura probare uelimus, quamquam aliis locis, ueluti in Ciceronis Philippicarum xiii 5 11, ad quem locum Garatonium conferas, uerba *Firmianum* et *Formianum* in libris manu scriptis confusa sunt, tamen hoc recipi numerus uersus non sinit, quippe cui *Formianus* adcommodari nequeat. nam ut de Mureto censente nomen *Formianus* non solum ditrochaeum sed etiam

Digitized by Google

paeonem primum explere posse taceam, etiam Scaliger et qui hunc secuntur de synizesi facta cogitantes falluntur. primum enim in Catulli carminibus ne unum quidem certum exemplum i litterae in consonam pinguefactae reperitur. nam quae exempla olim uulgo enumerabantur, partim, cum falso scripta essent (LXIIII 37 *Pharsaliam* : cf. Hauptii obs. crit. p. 68, C 2 *Veronensium* XIIII 18 *Aquinios* LXI 124 *io Hymen*), iam pridem ex editionibus remota sunt, partim alia ratione, non per synizesim explicanda sunt, ueluti LXI 220 *semihiante* et LXII 57 *conubium,* de quibus L. Muellerus de re metr. p. 258. 260 recte iudicauit. neque denique uersus illius LV 10 *Camerium mihi, pessimae puellae* uocabulum primum cum Lachmanno ad Lucretium p. 130. 193, quem L. Muellerus de re metrica p. 257 sequitur, tribus syllabis (*Camērjum*) efferendum esse mihi persuadere possum, sed id pro paeone quarto confidenter habeo, ita ut non tam pronuntiationis insolentiam quam basis licentiam quandam statuam : quae cum eo quod in uniuersum uersus logaoedici in basi praecipue a poetis Graecis liberius habebantur aliquatenus defenditur, tum in primis eo in carmine quo in gratiam sententiae (ut se currendo defatigatum uersuum tarditate describeret) dactylo phalaecei saepius contracto Catullus a norma paene inuiolabili longissime declinauit, atque in eo potissimum uersu et loco quo basis tribreuis uehementiam et celeritatem poetae interrogantis optime exprimens sensui quam maxime adcommodata est, ueniam iustissimam habet. sed etiam si illud *Camērjum* probaremus, tamen ideo alterum illud *Formjanus* nullo modo tueri possemus.

Digitized by Google

illa enim contractio satis facilis et multis idoneisque aliorum poetarum exemplis munita, haec uero durissima et e raris, immo e rarissimis esset. namque ex exemplis synizesis, quae Schneiderus (grammat. Lat. II 89) Lachmannus (ad Lucretium p. 72. 114. 115. 130. 193) Corssenius (de pronunt. uocal. accent. ling. Lat. II 168) Lucianus Muellerus (de re metr. p. 256) e carminibus poetarum eorum qui cum Catullo in arte poesis conparari possunt conlegerunt, uidere licet primum exempla eius synizesis quae i uocali ante a uocalem pinguescente fit rara esse, rarissima autem, quia durissima sunt, eius exempla esse in qua i litteram pinguefactam syllaba aut uocalis cuiusdam pondere aut consonantium conplurium inpedimento producta praecedit atque uocalis natura longa subsequitur.

Exempli eius quod illi *Formjanus* simillimum est *Marcelljano*, quod Schneidewinus apud Martialem II 29 5 *cuius olet toto pinguis coma Marcelliano* tolerauit, nulla fides esse potest, cum scriptura haec sine dubio corrupta (uel ideo quod Martialis numquam alibi i uocalem in consonam pinguescere siuit) reicienda et cum Salmasio Scriuerio aliis *Marcellano* legendum sit (cf. L. Muellerus de re metr. p. 256). rectius quidem illud *Formianus* trisyllabum Horatiano *uindemjator* defendi possit : sed primum haec synizesis eo quodam modo excusatur quod in saturarum libris (I 7 30), in quibus poeta a uersuum seueritate plurimum recessit, reperitur, deinde ipsa mollior quam altera illa eo habenda est quod i pinguefactam una tantum littera consona praecedit. — quae cum ita sint, coniecturam illam, quamuis speciosa sit, uides

Digitized by Google

utique recusandam esse. at quid nunc de Mentula Firmano fiet? num sententia quam de Mentulae uero nomine supra proposuimus, cum Mentula a Catullo non possit 'Formianus' adpellatus esse, tota reicienda est? minime hoc. ita enim res se habere uidetur. Catullus cum Mamurram carminibus insequi coepisset, partim nomine uero illum dixerat (XXVIIII 3 LVII 2), partim nomine a patria eius urbe omnibus nota desumpto 'decoctorem Formianum' adpellauerat (XXXXI 4 XXXXIII 5, cf. LVII 4). sed postea Catullo placuit Mamurram paullo tectius in carminibus suis significare. itaque nomine Mentulae ficto, cuius sensus ex carminibus prioribus ab uno quoque facillime percipi potuit, usus est. sed ne 'urbis Mamurrarum' quidem nomen, cum antea id ipsum ad hominem illum designandum adhibuisset, Catullo usurpare licuit, nisi id de forma genuina quodam modo inmutatum erat. ideo pro Mamurra Formiano Firmanum Mentulam nominauit, quasi nescio quem Firmo, ab urbe Piceni non procul a mari Adriatico sita, oriundum in animo haberet. — neque uero huic sententiae praeceptum de nominibus Latinis fictis illud notissimum, quod Acrone ad Horatii saturarum I 2 64 duce Bentleius ad carminum II 12 13 adcuratius inlustrauit, repugnare potest. nam in hanc legem, qua nomina ficta eandem atque genuina quorum illa uicaria sunt syllabarum et numerorum mensuram habere iubentur, exceptiones permultae cadunt, sicuti Buttmannus (mythol. I 343) Huschkius (anal. litt. p. 303) Maduigius (opusc. I 67) O. Iahnius (act. societ. litter. Saxon. I 420) Vngerus (de Valgio p. 75) Iungclaussenus (de temporibus carm. Catull. p. 24) recte

indicauerunt. ueteres scriptores et poetae a nominibus ueris hominum temporum suorum nominandis multo minus abstinebant quam ei qui nunc uiuunt scriptores solent : in primis ei qui carmina probrosa fecerunt, quamuis nos ex sententia hominum nostrae memoriae his prae omnibus reticentiam quandam nominum directorum attribuamus, quam maximam hac in re licentiam sibi sumpserunt (cf. Appulei de mag. 10 p. 405). sed hanc rem adcuratius persequi nihil ad nos. in nominum igitur fictione scriptores et poetae alii alias rationes secuti sunt. alii nomina ita finxerunt ut uerorum nominum omnino nullam rationem haberent. quod Vergilius in eclogis saepius fecit, ueluti cum sibi ipsi nomina Tityri et Menalcae indidit. alii tali artificio usi sunt ut nominibus fictis ipsis uera nomina aliquatenus indicarent et proderent. huius modi indicia nominum genuinorum poetae Latini uaria excogitauerunt atque partim singula singillatim partim conplura simul usurpauerunt. indicia autem illa nominis primigenii aut mensuram sonumue aut uim adpellatiuam aut eius cuius nomen inmutandum erat siue speciem siue ingenium moresue siue facta spectabant. Catullus igitur Tibullus Gallus Propertius ad puellarum suarum ingenium poeticum respicientes atque simul, ut altero indicio addito ueritas paullo facilius intellegi et nomen utrumque numero saluo inter se commutari posset, mensuram nominum genuinorum obseruantes nomina Lesbiae Deliae Lycoridis Cynthiae inuenerunt. ita Horatius deformitatem Gratidiae Neapolitanae castigaturus mensurae tamen et aliquatenus soni non incuriosus Canidiam dixit. num Ouidius cum puellam

Digitized by Google

suam Corinnae nomine insigniuit, praeter eius indolem poeticam alio spectauerit hodie non iam liquet : idem de nomine Melaenidis dicendum, quo propter fuscum faciei colorem (cf. Martial. VII 29 5) Domitius Marsus amicam ornauit. at Ticida Metellam Perillae nomine adpellans nullius rei praeter aequabilitatem numeri rationem uidetur habuisse. simul mensuram et sonum nominis primigenii Catullus spectauit Tanusium Geminum Volusii nomine dissimulans : atque easdem duas res Horatium in nomine Licymniae fingendo respexisse nos iam supra (etsi multo confidentius quam par erat) p. 152 diximus. idem Flaccus si Maecenatem Malthinum adpellauit, ad eius mores sed ita simul ut nomen alterum altero commutare per mensuram liceret spectauit. similiter, si fabula illa de uersu 121 saturae primae fidem mereret, Persius ad mores Neronis respiciens neque numeri aequabilitatis inmemor pro Nerone Midam posuisse uideretur. alibi uidemus propter mores uel facinora nomina ita mutata esse ut sonus primigenius paullulum uariaretur : ita nomina Acisculi Placidi Tullii in nomina ficta Pacisculi Acidi Tollii mutauerunt (cf. Quintil. VI 3 62), ita Cato Fuluium Nobiliorem Mobiliorem dixit (Ciceronis de oratore II 63 256), ita milites Tiberium Claudium Neronem 'propter nimiam uini auiditatem' (Suetonii Tiber. 42) nominibus Biberii Caldii Meronis inriserunt : idem propter libidinum in secessu Capreensi exercitarum inmanitatem ab eis qui ad nomen Caprearum et eius naturam caprinam respiciebant Caprineus adpellabatur (Suet. Tib. 43). aliter rursus sub nomine Sabini imitator ille phaseli Catulliani (Verg. catal. 8) Ventidium Bassum nomine eo detexit

Digitized by Google

cuius mensura quidem cum mensura uocabuli 'phaseli' aequanda erat, sed in cuius syllaba prima tres litterae priores nominis Bassi ordine inuerso extant. aliter mensura nominum genuinorum fere neglecta nomina Latina ui adpellatiua respecta in Graecum conuersa sunt : sic Horatius Telephi Martialis et Statius Ianthidos et Asteridos Catullus sonum etiam et mensuram nominis primigenii imitatus (cf. supra p. 151) Thalli nomina formauerunt. denique alius generis sunt nomina quae nescio an rectius cognomina ficta adpelles, quae nihil omnino cum sono et numero nominum genuinorum commune habent sed sola ex ui rerum trahuntur, ut Quintiliani uerbis utar, qui hoc genus risus petendi acrius et elegantius quam quod ex litterarum commutatione fiat et aetate sua frequentissimum esse dicit : ita Iunius Bassus, uti Quintilianus narrat, propter dicacitatem 'Asinus albus', ita Iulius quidam homo niger et macer et pandus 'Fibula ferrea' uocabatur, ita Furius Bibaculus Messius Auidienus Perillus Horatiani cognomina Alpini Cicirri Canis Cicutae nacti sunt, ita cognomenta illa militaria qualia Sirpicus 'Cedo alteram' (Taciti ab exc. Diu. Aug. I 23) 'Manu ad ferrum' (Vopisci Aurelian. 6 p. 157 Bip.) sunt, ita Quadrantariae Hierosolymarii Sampsicerami Arabarchae, ita Strumae cognomina orta sunt (cf. p. 37) : itaque Mentulae quoque nomen Catullus usurpauit. contra Firmani uocabulum ei generi nominum fictorum attribuendum est quod habet paruam litterarum inmutationem. una enim littera uerbi primigenii mutata una detracta est, ut uocis pro Formiano substitutae sonus simillimus praeter nomen uicinum Mentulae et praeter

carminis totius contextum in legentium animis memoriam 'decoctoris Formiani' redintegraret. inmutandum autem uerbum scite poeta ita inmutauit ut nomen recens uersui aptaret : genuinum enim, ut uidimus, numeris dactylicis repugnat. ne quis uero denique nobis ea de caussa refragetur quod Firmanus uerum nomen sit neque tale pro altero uero ponere aptum uideatur, adnotandum est eodem modo pro Tanusio Basso Gratidia nomina Volusii Sabini Canidiae, quamquam ipsa quoque uera nomina sunt, reposita esse.

Restat ut quaeramus cur Catullus in carminibus aliis Mamurram uero nomine usus adgressus sit, in aliis contra nomen fictum usurpare maluerit. qua de re etsi certi nihil effici potest, tamen coniecturam non ita inprobabilem Iungclaussenus proposuit. quae qualis sit non prius explicare possum quam de loco Suetonii quodam, quem iam saepius quasi praeteriens attigi, adcuratius exposui. Tranquillus igitur postea quam (Iul. 73) dixit Caesarem simultates nullas tam graues excepisse quas non occasione oblata lubens deponeret, his pergit uerbis : *G. Caluo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti ultro ac prior scripsit. Valerium Catullum, a quo sibi uersiculis de Mamurra perpetua stigmata inposita non dissimulauerat, satis facientem eadem die adhibuit cenae hospitioque patris eius, sicut consueuerat, uti perseuerauit.* quaeritur quando Catullus in gratiam Caesaris redierit. iam supra p. 223 diximus Suetonium uersiculis 'de Mamurra' carmen undetrigesimum significasse et ad indignationem

Digitized by Google

quam Caesari carmen hoc mouisset Catullum ipsum in carmine LIIII respexisse. item supra p. 207 adnotauimus carmen XXVIIII intra annum qui a mense fere Septembri anni 699/55 usque ad mensem eundem anni 700/54 fuit scriptum esse : simul tamen probabilius esse diximus id extremis anni 699/55 mensibus quam prioribus sequentis Catullum fecisse. inde conligimus Catulli excusationem, quam Suetonius commemorauit, non ante autumnum anni 699/55 fieri potuisse. adcuratiorem temporis definitionem nescio an adsequamur, si demonstrare nobis contigerit ubinam Catullus Caesari grauiter laeso satis fecerit. Romae Catullus Caesaris ueniam petere non potuit, cum Caesar Galliarum proconsul inde ab anno 696/58 usque ad annum 705/49 in Galliis Britannia Germania commoraretur neque ei prouinciam deserere liceret. itaque Catullum nisi in ipsa prouincia Gallia acerbitatem carminum suorum excusantem Caesar ad cenam inuitare non potuit. in Gallia autem Catullum Caesari satis fecisse eo minus dubitationem mouere potest quod et Verona, unde poeta oriundus erat, ipsius Galliae citerioris, quam Caesar simul cum ulteriore administrabat, urbs fuit et Caesar, quotiens ibi commorabatur, hospitio Catulli patris usus est. neque tamen Catullum tam studiosum et cupidum illius reconciliationis fuisse probabile est ut ipse Caesarem alicubi in Gallia Transalpina quaereret et uiseret : reditum in gratiam tum potius, cum aliquando aduersarii duo in regione poetae patria commorarentur, effectum esse conicio. at num Caesar eo tempore quo reconciliatio illa facta sit necesse

Digitized by Google

est aliquamdiu in Gallia Cisalpina fuit? profecto omnia egregie conspirant. Caesar enim cum priore expeditione Britannica confecta sub finem anni 699/55 in Belgis omnium legionum hiberna constituisset, initio anni sequentis in Galliam Cisalpinam profectus est. ita enim Caesar ipse initio libri de bello Gallico quinti narrat: *L. Domitio Ap. Claudio coss.* (700/54) *discedens ab hibernis Caesar in Italiam, ut quotannis facere consueuerat, legatis inperat, quos legionibus praefecerat, uti quam plurimas possent hieme naues aedificandas ueteresque reficiendas curarent . . . . ipse conuentibus Galliae citerioris peractis in Illyricum proficiscitur . . . . his confectis rebus conuentibusque peractis in citeriorem Galliam reuertitur atque inde ad exercitum proficiscitur.* itaque non dubitamus quin intra menses anni 700/54 priores Catullus a Caesare Galliam Cisalpinam peragrante ueniam uersuum acerbissimorum accepisse. denique mihi quidem diligentius quae Suetonius de Licinio Caluo satisfaciente narrauit consideranti ueri simile esse uidetur Catullum cum Licinio familiaritate intima, ut mox uidebimus, coniunctum ex amicis fuisse eis qui a Caesare pro illo, cui Romae uiuenti occasio Caesaris uidendi et mitigandi defuit, ueniam petiuerunt. — ceterum caueamus ne in excusatione illa quam Catullus fecit iudicanda nimis seuero utamur iudicio. odia Caesaris quibus flagrabat Catullus tam inpauide et proterue elocutus erat ut uix quisquam inperatorem potentissimum uituperare posset, si poetam perdere uoluisset. sed Caesar quamuis contumeliosa eius et Calui carmina molestissime ferret, tamen, qua erat

Digitized by Google

et prudentia et moderatione clementiaque admirabili, placabilem quam iratum se praebere maluit non ignorans beniuolentia inmerita animos hominum inimicissimos et ferocissimos multo facilius quam seueritate iustissima flecti solere. itaque hospitii iure usus et familiaritate qua cum patre Catulli coniungebatur filium sibi reconciliare studuit. quem quo uehementius cum Caesaris benignitas non expetita mouebat tum pater precibus fatigabat ne reconciliationem cum magno detrimento et periculo utriusque sui recusaret, eo magis ne pietatis et prudentiae officiis inconsideratius deesset sibi cauendum esse intellexit, praesertim cum uereretur ne Caesar, si semel frustra pacem sibi obtulisset, in posterum inplacabilis foret. hac igitur reconciliatione necessario effectum est ut Catullus Caesarem carminibus uexare desineret. neque tamen, ut illuc redeam unde tota nostra de Catulli satisfactione disputatio digressa est, hoc poeta a se inpetrare potuit ut ideo, quia cum Caesare in gratiam rediiset, eius gregalibus parceret. in primis a Mamurra persequendo desistere noluit. simul tamen, ut recte Iungclaussenus uidit, ratione Caesaris habita, cuius dedecus cum Mamurrae dedecore in prioribus carminibus coniunxerat, uerum huius nomen non usurpauit, sed Mentulae nomen elegit quo inimicum iam insequeretur. quae si recte disputata sunt, uides carmina quibus Catullus Mentulae nomine usus in Mamurram inuehitur anno 700/54 scripta esse. tantum de Mamurra siue Mentula. tandem in hoc capite omnia carmina quae Catullus in Caesarem et Caesarianos scripsit explicauimus

Digitized by Google

praeter carmen LII *Quid est, Catulle? quid moraris emori?* sed hoc carmen supra (p. 35), cum de anno quo Catullus mortuus esset disputaremus, adcurate enarrauimus. nihil igitur inpedit quo minus disputatio nostra alio se conuertat.

Digitized by Google

X

Iam de carminibus eis quae Catullus ad Verannium et Fabullum homines nobis quidem aliunde ignotos, poetae autem amicissimos scripsit disputare placet. scripsit poeta ad Verannium carmen VIIII *Veranni, omnibus e meis amicis*, ad Fabullum carmen XIII *Cenabis bene, mi Fabulle, apud me*, ad utrumque amicum carmen XXVIII *Pisonis comites, cohors inanis*, de utroque amico XXXXVII *Porci et Socration, duae sinistrae.* praeterea uersus XII 15 et XXV 7 conferendi sunt.

Cum carmen XII *Marrucine Asini, manu sinistra* poeta scriberet, Fabullus et Verannius in Hispania uixerunt, unde Catullo amico communi sudaria Saetaba dono miserunt. quae sibi in ioco atque uino Asinium quendam surripuisse poeta, ut carmen XII testatur, molestissime tulit (cf. etiam XXV 7). amicos ex Hispania redeuntes duobus carminibus suauissimis poeta salutauit : et Verannium quidem carmine VIIII, quod amico, quem in urbe patria aduenisse conpererat, obuiam Roma misit ut laetitiam suam de eius reditu gestientis aperiret.

Digitized by Google

o mihi nuntii beati.
uisam te incolumem audiamque Hiberum
narrantem loca facta nationes,
ut mos est tuus, adplicansque collum
iucundum os oculosque sauiabor :
o quantum est hominum beatiorum,
quid me laetius est beatiusue?

contra Fabullo redeunti poeta carmen XIII obuiam misit: quo ad epistulam, qua amicus ultro et prior aduentum suum nuntiauisset et hospitium poposcisset, Catullum festiue et iocose respondisse Franciscus Passouius in Seebodiani horrei, quod nominare solent, tomo II 180 rectissime intellexit, cuius sententiam Ludouicus Doederlinus in lectionum uariarum triade, quam Erlangae anno 1839 edidit, p. 3 adprobauit, inprobauit parum considerate Immanuel Huschkius analectorum litterariorum p. 311. aperte quidem Catullus Fabullum alicunde redire non eloquitur, nedum ex Hispania reuerti : nihilo minus, quantum nunc iudicare possumus, Passouius recte interpretatus est : in primis uersus alterius formula *si tibi di fauent* nos de itineris cuiusdam retardationibus et casibus periculisque inprouisis cogitare quasi iubet. scite Passouius addit Catullum in uersu primo et secundo uerba ipsa quibus Fabullus in epistula illa usus esset tetigisse uideri : quamquam fidem uersuum Fabulli, quos ex uerbis Catullianis Passouius deglubere temptauit, horum

cenabo bene, mi Catulle, apud te
paucis, si mihi di fauent, diebus

praestare nolo. Huschkii explicatio quam sit peruersa

Digitized by Google

sponte intellegetur, si eius summam breuiter excripsero: *Catulli carmen* XIII *satyricum esse ac iocosum uel sine Martiale intellegere poteras. docet ipsum carminis initium. docet dies inuitationis prodictus ad Graecas scilicet kalendas. docet formula 'si tibi di fauent', hoc est, 'si dis placet' uel, ut ad nostrum morem Graeci quoque scribebant, εἰ δαίμων ἐθέλοι, docent reliqua. inuitatus igitur ad cenam a Fabullo Catullus nihil fere rettulerat nisi caput unctius. ut remuneretur eum quam simillimo munere, uicissim Fabullum inuitat ad cenam, paene dixerim, unguentariam ea conditione quam nosti.* Martialem cum nominaret, Huschkius illius epigramma libri III duodecimum, quod iam Muretus ad carmen Catulli ascripsit, significauit quo poeta Bilbilitanus hominem quendam unguentorum quidem in cena prodigum parcum uero ciborum ita inrisit ut ad hoc ipsum Catulli carmen (cuius primum quoque uersum in epigrammatum XI 52 1 imitatus est), in quo et ipso de unguento ciborum uicario sermo est, respiciens ei falsum Fabulli nomen inderet. conceptum enim est uersibus hisce:

Vnguentum, fateor, bonum dedisti
conuiuis here, sed nihil scidisti.
res salsa est bene olere et esurire.
qui non cenat et ungitur, Fabulle,
hic uere mihi mortuus uidetur.

Quo tempore Verannius et Fabullus ex Hispania redierint adcurate definiri nequit: tamen inde quod, cum Catullus carmen XIII scripsit, eius et Lesbiae amor non dum dissolutus erat (cf. uersum undecimum et sequentes

Digitized by Google

nam unguentum dabo, quod meae puellae
donarunt Veneres Cupidinesque,
quod tu cum olfacies, deos rogabis
totum ut te faciant, Fabulle, nasum)

non post annum 694/60 illos ex Hispania reuertisse et carmina illa scripta esse censeo. ceterum si quispiam quaesiuerit cur Catullus puellae suae unguentum solum neque ipsam puellam ad cenam illam adferre promiserit (nam eos non curamus qui *meros amores* uel *meos amores* de Lesbia ipsa intellegunt), facile responderi potest Clodiam, quamuis inpudica esset, in domicilio Catulli cum uiro alieno congredi audere non potuisse, praesertim illo tempore quo ea mores bonos non dum palam ante omnium oculos neglexit et Metello etiam tum uiuo Catullo nulla nisi

furtiua dedit rara munuscula nocte
ipsius ex ipso dempta uiri gremio.

Ad carmen xxviii explicandum pergimus, quo Catullus amicos ambos ex prouincia quadam, quo Pisonem proconsulem siue propraetorem comitati erant, redeuntes haec interrogat :

quid rerum geritis? satisne cum isto
uappa frigoraque et famem tulistis?
ecquidnam in tabulis patet lucelli
expensum, ut mihi qui meum secutus
praetorem refero datum lucello.

et interrogationi suae ipse ita respondet :

sed, quantum uideo, pari fuistis
casu : nam nihilo minore uerpa
farti estis.

Digitized by Google

cum hoc carmine carmen xxxxvii coniungendum est, in quo poeta in Porcium et Socrationem acriter inuehitur, quos a Pisone Verannio et Fabullo antepositos quam maxime aegre ferat. iam tres quaestiones soluendae sunt. primum enim inquirendum quando carminum illud par scriptum sit, deinde qua in prouincia Verannius et Fabullus cum Pisone praetore fuerint, denique quis ille praetor fuerit. atque de tempore facile unum quidem ex carminis xxviii 7—10 conligitur, non ante iter Bithynicum confectum, h. e. non ante anni 698/56 tempora uerna siue mauis aestiua carmina xxviii et xxxxvii scripta esse posse. at quo Pisonem praetorem Verannius et Fabullus comitati sunt? interpretes qui de hac re uerba fecerunt ad unum omnes: 'in Hispaniam' inquiunt carmina xii 14 et viiii 6 conferri iubentes. sit ita sane. sed illi Pisonem quemlibet producant qui inter annos 697/57 et 700/54 in Hispania (et in citeriore quidem Hispania, si tantum ex sudariis 'Saetabis' Catullo a Verannio et Fabullo transmissis conligere licet) praetor fuerit. nam quos Pisones interpretes a Catullo opinati sunt indicatos esse, eorum tempora mira neglegentia non respexerunt. Gn. enim Calpurnius Gn. f. Piso, quem post Parthenium et Statium Vulpius et nuperrime Munkius (hist. litt. Lat. ii 183) significatum esse censent, quaestor pro praetore Hispaniae citerioris iam anno 689/65 in prouincia sua occisus est (cf. Sallustii Catil. 19 Mommseni histor. Roman. iii 168 Drumanni HR ii 89). quin de L. Pisone Frugi, qui circa annum 642/112 praetor in Hispania fuit (cf. Drumanni HR ii 83, 26), Doeringius et Haakhius (in encyclopaediae Paulianae vi

Digitized by Google

2464) plane ridicule cogitauerunt. qui uiri docti cum tanto opere temporum incuriosi fuerint, miramur cur neque Gaium Pisonem anno 568/186 et duobus sequentibus Hispaniae ulterioris praesidem (cf. Drumannus II 61, 16) neque L. Pisonem Caesoninum anno 600/154 Hispaniae ulterioris praetorem (cf. Drum. II 61, 27) neque denique M. Pupium Pisonem Calpurnianum commemorarint, quem quamquam nescimus quando in Hispania ex praetura pro consule fuerit, Catullus tamen nullo modo significare potuit, quia ille anno 685/69 de Hispania triumphauit et anno 693/61 consulatum iam gessit (cf. Drumannus l. c. II 87, 57. 59). itaque Pisonis intra annos illos in Hispania praetoris apud scriptores ueteres mentio nulla facta est. sed quid hac argumentandi ratione proficimus? etiam si aduersarios concedere coegimus se de Pisone aliquo aliunde quoque cognito, quem a Catullo significatum esse putarent, falsos esse, tamen illis sententia sua refutata non uidebitur et coniecturae suae ita succurrent ut, cum non omnium praetorum rei publicae Romanae nomina ad notitiam nostram uenerint, non mirum esse dicant quod Piso quidam aliunde incognitus Hispaniae praetor commemoretur a Catullo. at nonne uis huius argumenti eo aliquantum infringitur quod inter annos 697/57 et 700/54 quattuor non amplius praeturas Hispaniarum ignoramus a quibus administratae sint? quid quod, si citerioris praetor Hispaniae Piso fuisse creditur, unius tantum anni 697/57 praetor nobis ignotus est (cf. Pighii annal. III 376—398). deinde quid hac sententia probata carmine XIII 11 fiet, in quo Catullus 'puellam suam' ita nominauit ut tum eius et Lesbiae amorem non dum

Digitized by Google

interruptum fuisse adpareat? nam post iter Bithynicum foedus dissociatum Catullus non renouauit. nonne uel ideo inprobabile est carmen XIII carminibus XXVIII et XXXXVII aequale esse? sed ne hac quidem ratiocinatione aduersarii nostri a sententia sua deterreantur necesse est. dixerint enim, cum in carmine XIII Hispaniae nulla mentio facta sit, nihil obstare quo minus id temporibus eis quibus Catulli et Lesbiae concordia pristina non dum turbata fuerit ascribatur.

At iam eisdem telis, quibus illi contra nos se defendere possint, usi ipsi pronuntiamus neque in carmine XXVIII neque in XXXXVII quicquam reperiri quo Fabullum et Verannium cum Pisone praetore in Hispania fuisse conprobetur, praeterea in carminibus XII et VIIII, in quibus illud amicorum par in Hispania fuisse narratur, ne uerbum quidem de praetore, nedum de Pisone praetore extare. nonne igitur eodem iure quo interpretibus carmina illa quattuor inter se coniungere placuit, nos ut carmina duodetrigesimum et quadragesimum septimum ab nono et duodecimo et decimo tertio separentur postulare possumus, praesertim si Pisonem aliquem, qui inter annos 697/57 et 700/54 in prouincia qualibet praetor fuit et cuius mores uersibus Catullianis descripti uideri possunt, reperire licet? neque frustra hominem talem gentis Calpurniae circumspicimus. iam Martyni-Laguna in actis litterariis Ienensibus anni 1790 (nr. 180 II 718) breuiter dixit L. Calpurnium Pisonem Caesoninum a Catullo castigatum esse. idem Iungclaussenus quoque, uir de tota hac quaestione optime meritus, qui eorum quae Martyni-Laguna dixit

Digitized by Google

notitiam nullam habuit, intellexit. haec sententia, si carmen XXVIII adcuratius examinatur, speciosissima et ualde probabilis uidetur esse. nam quaecumque Catullus in Pisone uituperat, in Caesonino illo, qui Macedoniam prouinciam annis 697/57 et 698/56 pro consule obtinuit, abunde et adfatim quasi prostant. quae si quis singillatim cognoscere uelit, Ciceronis orationes post reditum in senatu et de prouinciis consularibus et in Pisonem ipsum habitas legat. ut pauca adferamus, primi uersus carminis duodetrigesimi cum his Ciceronis in Pisonem 17 40 uerbis mire conspirant, *quid tandem erat actum aut gestum in tua prouincia de quo ad senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret? uexatio Macedoniae? . . an sociorum direptio? . . an exercitus nostri interitus ferro fame frigore pestilentia?* (cf. de prouinciis consularibus 3 5). praeterea cum uersibus eis in quibus Catullus se prouidere ait amicos in prouincia nihil pecuniae sibi conparasse ob Pisonis auaritiam et perfidiam, praeter alia in Pisonem 35 86 et quae secuntur conferri possunt: deinde cum uerbis illis acerbis *pete nobiles amicos*, quorum sensum iam supra p. 170 explicauimus, eiusdem Ciceronis in eundem Pisonem 1 1 *obrepsisti ad honores errore hominum commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil praeter colorem . . . nam tu cum quaestor es factus, etiam qui te numquam uiderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. aedilis es factus. Piso est a populo Romano factus, non iste Piso. praetura item maioribus delata est tuis.* insuper, ut Iungclaussenus bene dispexit, aliud etiam acumen in his uerbis latet. L. enim ille Piso Caesoninus inde ab anno 695/59 socer

Digitized by Google

factus erat Caesaris, quem Catullus, ut in capite proximo uidimus, illo ipso tempore quo carmina xxviii et xxxxvii scripserit necesse est, epigrammatis contumeliosis indefesse insectabatur. itaque Piso, ad quem a generi potentissimi auctoritate summa aliquantum honoris redundabat, tum profecto 'nobilissimus' fuit. porro non sine idonea caussa Pisoni nomina 'uerpae' (xxviii 12) et 'uerpi Priapi' (xxxxvii 4) Catullus indidit. cf. in Pisonem 18 42 *audis in praesepibus, audis in stupris, audis in cibo et uino.* de prouinciis consularibus 3 6 *libidines praetereo : quarum acerbissimum extat indicium et ad insignem memoriam turpitudinis et paene ad iustum odium inperii nostri, quod constat nobilissimas uirgines se in puteos abiecisse et morte uoluntaria necessariam turpitudinem depulisse.* in Pisonem 28 69 *itaque admissarius iste simul atque audiuit uoluptatem a philosopho tanto opere laudari, nihil expiscatus est : sic suos sensus uoluptarios omnes incitauit, sic ad illius hanc orationem adhinniuit ut non magistrum uirtutis sed auctorem libidinis a se illum inuentum arbitraretur.* quod si Pisonis indolis et natura haec fuit, non miramur quod cum Memmio eisdem morum maculis adfecto eum Catullus conparauerit. quin etiam litteris leuiter inbutus Piso erat, sicuti Memmius, et philosophiae Epicureae eidem, quorum placitis abutebantur ut libidines suas excusarent et commendarent, uterque deditus fuit (cf. in Pisonem 25 59. 26 63. 28 68).

Hunc locum relinquere non possum quin de carmine xxxxvii, in quo poeta in Porcium et Socrationem a Pisone Verannio et Fabullo praepositos inuehitur, pauca dicam. erant illi perinde atque Catulli amici Pisonem

Digitized by Google

in Macedoniam secuti et hunc 'uulturium' (cf. in Pisonem 16 38) in prouincia expilanda et diripienda pro virili parte adiuuerant, id quod Catullus uerbis *duae sinistrae Pisonis, scabies famesque mundi* reprehendit. qui homines illi fuerint nescimus. Socrationis quidem nomen est Graecum neque habemus cur hominem etiam natione Graecum fuisse negemus. Muretus de liberto aliquo cogitauit. hoc unum certum est nomen pro ficto haberi non posse : neque errabimus puto, si Socrationem inter eos Graeculos rettulerimus, quorum commercio et consuetudine Pisonem quam maxime delectatum esse Cicero saepius narrauit, cf. in Pisonem 10 22 *hic autem non tam concinnus heluo nec tam musicus iacebat in suorum Graecorum foetore atque uino.* 36 89 *cum sustentare uix posses maerorem tuum doloremque decessionis, Samothraciam te primum, post inde Thasum cum tuis teneris saltatoribus et cum Autobulo Athamante Timocle, formosis fratribus, contulisti.* 27 67 *Graeci stipati quini in lectulis, saepe plures, ipse solus.* in primis eiusdem orationis caput 28 conferendum, quod de Pisonis cum Philodemo Gadareo, philosopho Epicureo, commercio est. uides quam pulcre omnia ad Martyni-Lagunae et Iungclausseni sententiam conprobandam conspirent.

Certum igitur habemus carmina VIIII et XIII, si de tempore quaeritur, a carmine XXVIII et XXXXVII separanda et illa quidem tempore quo Catulli et Lesbiae amor etiam tum floruit, haec post iter Bithynicum conposita esse : deinde carmina VIIII et XIII Catullum amicis ab Hispania in Italiam reuersis, sed carmen XXVIII amicis ex Macedonia, ubi cum Pisone pro consule fuissent, redeun-

tibus obuiam misisse, denique carmen XXXXVII conposuisse, cum paullo ante Piso cum cohorte Romam reuertisset : quod quamquam uix cum Iungclausseno (p. 20) ex uersu septimo *quaerunt de triuio uocationes* conligi potest, tamen ex sententia totius carminis efficitur. poeta enim, ut pluribus uerbis quae dixit enarremus : 'Vos igitur', inquit, 'Porci et Socration, homines furacissimi, ei fuistis quorum commodo Verannio et Fabullo neglectis Piso, homo libidinosissimus, in prouincia quam plurimum consuluit' (in primis ad perfectum tempus uerbi *praeposuit* animum aduertas uelim) : 'unde fit ut illi quidem prouinciae praeda locupletati sumptuosa ac luxuriosa conuiuia ipsi instituant, his contra, qui ne minimum quidem illinc lucellum reportarunt, in triuiis aliorum inuitatiunculae expectandae sint'. iam tandem de tempore carminum XXVIII et XXXXVII adcuratius disseri potest quam supra, cum in hanc rem incideremus, fieri potuit : illic enim nihil nisi post iter Bithynicum illa scripta esse a poeta contendere potuimus. iam igitur quaerendum nobis est quando Piso ex prouincia decesserit. in Macedoniam eum anno consulari suo 696/58 extremo profectum esse Cicero pro Sestio 33 aperte dicit. rediisse eum Pompeio et Crasso consulibus anno 699/55 Asconius in Pisonianam p. 1 rettulit : paulo adcuratiorem definitionem temporis inde nanciscimur quod ex eodem Asconio p. 1 et 15 scimus Ciceronem orationem quam in Pisonem ex Macedonia nuperrime reuersum habuit, breui ante ludos quibus Pompeius theatrum a se factum dedicauit dixisse. aestate autem anni 699/55 theatrum illud dedicatum esse partim inde conlegimus quod sub finem mensis Aprilis in thea-

Digitized by Google

tro adornando non dum omnia confecta erant (cf. Ciceronem ad Atticum IIII 9), partim inde quod Valerius Maximus memorabilium II 4 6 Pompeium aquis in theatrum per semitas ductis a e s t i u u m feruorem minuisse narrauit (cf. Drumanni historiae Romanae IIII 523). unde conicere haud scio an liceat p r i m a aestate Pisonem cum Porcio Socratione Verannio Fabullo ceteris Italiam rediise. itaque Piso duos annos et dimidium in prouincia fuit, quod temporis spatium Cicero in Pisonianae 35 86 nimis large 'triennii' nomine designauit : simili ueri superlatione in eiusdem orationis 40 97 de trinis Pisonis in Macedonia confectis aestiuis locutus est : tamen eodem hoc loco tertii quoque anni bonam partem Pisonem in prouincia commoratum esse probatur. quae cum ita sint, temeritatis opinor non accusabimur, si carmina XXVIII et XXXXVII medio fere anno 699/55 confecta esse adfirmamus.

Digitized by Google

XI

Postea quam de Verannio et Fabullo Catulli amicis disputauimus, non nulla de G. Licinio Caluo dicenda sunt, qui propter quandam ingenii et morum congruentiam et studiorum litterarum communionem familiaritate maxima cum poeta Veronensi coniunctus fuit. tria carmina in libro Catulliano insunt quae ad Caluum Catullus scripsit, unum praeterea inuenitur in quo Calui mentio facta est. sunt uero haec XIIII *Ni te plus oculis meis amarem* LIII *Risi nescio quem modo e corona* L *Hesterno, Licini, die otiosi* LXXXXVI *Si quicquam mutis gratum acceptumue sepulcris.*

Caluum in intimam Catulli amicitiam peruenisse, id quod modo diximus, ex omnibus his carminibus luculenter adparet: uide sis XIIII 1. 2 *ni te plus oculis meis amarem, iocundissime Calue* L 16. 17 LIII 3. aetas utriusque poetae si conparatur, Catullus Caluo quinquennio maior erat. Caluus enim G. Mario Gn. Carbone III coss. (a. 672/82) a. d. V kal. Iun. natus, ut Plinius (hist. natur. VII 49) narrat, et paucis annis post Catullum morte inmatura anno fere 706/48 abreptus est (cf. Quin-

Digitized by Google

tiliani instit. x 1 115 Ciceronis epist. xv 21 4 Bruti 82 283 Weicherti reliq. poet. Lat. p. 108). ingenium et mores eius ex descriptione Senecae (controuersiarum vii 19 p. 211 Burs.) hac optime intellegi possunt. *Caluus, qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiae habuit, usque eo uiolentus accusator et concitatus fuit ut in media actione eius surgeret Vatinius reus et exclamaret : 'rogo uos, iudices, num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet?' idem postea cum uideret a clientibus Catonis, rei sui, Polionem Asinium circumuentum in forica inponi se supra cippum iussit (erat enim paruulus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis uocat illum 'salaputium disertum'* — uide Catulli LIII 5 et Ouidii tristium II 432 *exiguus Caluus* —) *et iurauit, si quam iniuriam Cato Polioni Asinio, accusatori suo, fecisset, se in eum iuraturum calumniam : nec umquam postea Polio a Catone aduocatisque eius aut re aut uerbo uiolatus est. solebat praeterea excedere subsellia sua et inpetu latus usque in aduersariorum partes transcurrere. et carmina quoque eius quamuis iocosa sint, plena sunt ingentis animi ..... compositio quoque eius in actionibus ad exemplum Demosthenis uiget : nihil in illa placidum nihil lene est, omnia et citata et fluctuantia.* — Carmina Calui, quae iocosa Seneca dixit, partim lusus erant amatorii, cf. Propertii carm. III 25 4

ista (Cynthiae) *meis fiet notissima forma libellis*
Calue tua uenia, pace Catulle tua,

neque magis quam Catulli pudica : uide praeter Plinii epistularum v 3 Ouidii tristium II 432

Digitized by Google

nec contentus (Catullus) *ea* (Lesbia) *multos uulgauit amores*
in quibus ipse suum fassus adulteriumst :
par fuit exigui similisque licentia Calui,
detexit uariis qui sua furta modis.

partim erant ludicra et probrosa carmina, qualia ingenio Calui acri et salso (cf. XIIII 16 *non non hoc tibi, salse, sic abibit*) in primis congrua fuerunt. 'famosorum epigrammatum' quae in Caesarem et Pompeium scripsit iam supra p. 186 mentionem fecimus. praeterea hendecasyllabi (in Manium Curium, u. Asconium ad Cic. orat. in tog. cand. p. 95, 7, praeterea cf. fragm. 1 Lachm.) choliambi (in Tigellium Sardum, Iulii Caesaris familiarem, cf. Ciceronis epistul. VII 24 1 et Calui uersum a Porphyrione et scholiasta Cruquiano ad Hor. satur. I 3 3 seruatum) glyconei (u. Charisii instit. I p. 120) epithalamium (u. Prisciani inst. V p. 658) carmen epicum cui Ius nomen erat (cf. Seruium ad Verg. ecl. 6 47. 8 4 Probi instit. gramm. I p. 1394. 1405) a scriptoribus ueteribus commemorantur. quo ex carminum Calui recensu uides maximam inter Catulli et Calui poesim similitudinem intercessisse. itaque quoniam tam pulcre illis de ingenio moribus carminibus conueniebat, effectum est ut ueteres hunc utrumque poetam saepissime simul nominarent : cf. Horatii saturarum I 10 19 Propertii carminum III 25 4. 33 87 Ouidii amorum III 9 62 tristium II 432 Plinii epistularum I 16 *praeterea facit* (Pompeius Saturninus) *uersus quales Catullus aut Caluus. quantum illis leporis dulcedinis amaritudinis amoris. inserit sane, sed data opera et mollius leniusque, duriusculos*

Digitized by Google

quosdam, et hoc quasi Catullus aut Caluus. praeterea cf. Sentium Augurinum apud eundem Plinium epist. IIII 27. denique Gellium noctium Atticarum XVIIII 9 7 adeas, qui haec habet : *saepe eum percontabantur quid de Anacreonte ceterisque id genus poetis sentiret et ecquis nostrorum poetarum tam fluentes carminum delicias fecisset? 'nisi Catullus', inquiunt, 'forte pauca et Caluus itidem pauca'. nam Laeuius inplicata et Hortensius inuenusta et Cinna inlepida et Memmius dura ac deinceps omnes rudia fecerunt atque absona.* ceterum Catullus palmam poesis facile praeripuit Caluo, qui operam intentissimam orationibus diligenter elaborandis dedit. ideoque orator maximam famam adeptus est (Ciceron. epistul. XV 21 4 Valerii Max. memorab. VIIII 12 7 Vellei hist. II 36 Quintiliani instit. X 1 115 Taciti dial. de orat. 21 5. 25 3. 34 5), carminibus autem pangendis nisi horis subsiciuis non uacabat. plura de Caluo Weichertus de reliquiis poet. Lat. p. 88—146 et Ellendtius in prolegomenis ad Brutum p. CXVIII—CXXIV exposuerunt.

Ut iam ad carminum quae ad Caluum Catullus scripsit interpretationem ueniamus, ilico ex eo carmine in quod ordinem carminum uulgarem sequentes primum incurrimus Caluum animo ad iocandum promptissimo fuisse plene cognoscere licet. diebus festis Saturnaliorum Romae familiares familiaribus amici amicis munuscula uarii generis beniuolentiae testandae caussa mittere solebant : quorum in numero libros quoque fuisse ut per se ueri simile est, ita, ut alia omittam, Martialis epigrammatum V 18 XIIII 184—196 adcurate demonstrant. his igitur diebus cum a cliente quodam docto, Sulla lit-

Digitized by Google

teratore, officia quaedam ab oratore sibi praestita remuneraturo libellum, in quo grammaticus carmina poetarum certorum selecta conlegerat, muneri accepisset, Caluus more illo apophoretorum mittendorum lepide et iocose abusus Catullo, cui poetas, quos Sulla ille in sinu gestabat quorumque flores in libellum illum rettulerat, quam maxime inuisos esse non ignorauit, ipsa haec electa dono misit. quod cum sub uesperum amicus fecisset, Catullus statim carmen XIIII in chartam coniecit et ad amicum reportari iussit, quo postea quam Caluo crimini iocose uertit quod ille amicum ipsis Saturnalibus, quibus omnes a rebus aduersis liberi esse cuperent, tam maligne uexare uellet, his uerbis pollicitus est se illi cumulatissime gratiam relaturum esse :

non non hoc tibi, salse, sic abibit.
nam, si luxerit, ad librariorum
curram scrinia, Caesios Aquinos
Suffenum omnia conligam uenena
ac te his suppliciis remunerabor.

Catullus Sullam illum non sine contemptu 'litteratorem' adpellauit. Suetonius (de gramm. 4) *sunt* inquit *qui litteratum a litteratore distinguant, ut Graeci grammaticum a grammatista, et illum quidem absolute hunc mediocriter doctum existiment, quorum opinionem Orbilius exemplis confirmat.* quod discrimen non tolli uidetur (id quod Suetonius l. c. sibi persuasit) dicto quodam Messallae Coruini 'non esse sibi' dicentis 'rem cum Furio Bibaculo ne cum Ticida quidem aut litteratore Catone'. nam Messalla quoque Catonem contemptius designare uoluit

Digitized by Google

(cf. etiam Bernhardii hist. litt. Lat. p. 462). ceterum de Sulla illo iam Muretus, cui multi adsensi sunt, recte exposuisse uidetur his uerbis: *de Sulla grammatico nihil alibi legere memini. tantum reperio fuisse Cornelium quendam Epicadum Sullae libertum, qui fieri potuit ut, cum sibi de more patroni nomen adsumpsisset, etiam ipso eiusdem cognomine a populo adficeretur.* cui opinioni temporum quidem ratio non obstat. de Epicado hoc Suetonius de gramm. 12 haec habet: *Cornelius Epicadus L. Cornelii Sullae dictatoris libertus calatorque in sacerdotio augurali filio quoque eius Fausto gratissimus fuit. quare numquam non utriusque se libertum edidit. librum autem quem Sulla nouissimum de rebus suis inperfectum reliquit ipse suppleuit* (cf. Friderici Osanni symbolarum ad litt. Gr. et Lat. II 359). — E poetis inelegantibus, quorum carminibus Catullus munus illud funestum Caluo remuneraturus fuit, primus Caesius plane ignotus est, alter Aquinus et tertius Suffenus uix in nostram memoriam uenerunt. Aquini enim nomen etiam Cicero adhibuit in disputationum Tusculanarum v 22 63 ut exempli loco poetam pessimum designaret. uerba sunt haec: *in hoc genere* (poetarum) *nescio quo pacto magis quam in aliis suum cuique pulcrum est: adhuc neminem cognoui poetam, et mihi fuit cum Aquino* (sic enim, non *Aquinio* scribendum est) *amicitia, qui sibi non optimus uideretur.* ad eundem hominem Ciceronis iocum quendam, quem Plutarchus (cf. Cic. 27 *Μάρκον Ἀκυΐνιον ἔχοντα δύο γαμβροὺς φυγάδας Ἄδραστον ἐκάλει*) commemorauit, spectasse Weichertus (rel. poet. Lat. p. 141) sine ulla idonea caussa statuit. de tertio malo poeta, qui hoc loco

Digitized by Google

commemoratus est, Suffeno Catullus ipse in carmine xxii *Suffenus iste, Vare, quem probe nosti* conplura dixit, aliunde is nobis notus non est. sed iam quaeritur quo tempore Catullus carmen xiiii scripserit. qua de re uersum tertium et quintum decimum adcuratius consideremus necesse est. quid igitur illud 'odium Vatinianum' sibi uult? plures explicandi rationes propositae sunt. namque Parthenius Muretus Mommsenus (hist. Rom. iii 312) Catullum dixisse censent: 'odissem te, Calue, tali odio quali Vatinium (*in quo,* ut Vellei histor. ii 69 uerbis utar, *deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii*) omnes homines insectantur'. contra Palladio et Drumanno (histor. Roman. v 690, 76) odium id quo Cicero Vatinium insequeretur significatum esse uidebatur. ut de hac posteriore interpretatione utique inprobanda (nam quo modo 'odium Vatinianum' in hoc carmine, in quo Ciceronis nulla omnino mentio facta est, de Tullii odio Vatinii dictum esse potest?) nihil amplius dicam, ad priorem explicationem defendendam hi loci adferri possunt. Senecae de const. sap. 17 *Vatinium hominem natum et ad risum et ad odium.* Macrobii Saturn. ii 6 *lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut aediles edicerent ne quis in arenam nisi pomum misisse uellet. forte eis diebus Cascellius iuris consultus consultus a quodam num nux pinea pomum esset, 'si in Vatinium missurus es', inquit 'pomum est'.* Dionis Cassii xxxxvii 21 *οἱ γὰρ στρατιῶται ἀχθόμενοί τε αὐτῷ* (Vatinio) *καὶ προσκαταφρονήσαντες αὐτοῦ διὰ νόσον μετέστησαν.* Ciceronis in Vatinium 1 1 *odio tui, in quo etsi omnes propter tuum in me scelus superare*

Digitized by Google

debeo, tamen ab omnibus paene uincor, sic sum incitatus ut, cum te non minus contemnerem quam odissem, tamen uexatum potius quam despectum uellem dimittere. qua re ne tibi hunc honorem a me haberi forte mirere, quod interrogem quem nemo congressu nemo aditu nemo suffragio nemo ciuitate nemo luce dignum putet, nulla me caussa inpulisset, nisi ut ferocitatem istam tuam conprimerem. haec de Vatinio omnibus odioso sententia, cui ex locutionis 'odii Vatiniani' forma prouerbium redolente aliquid praesidii accedere uideri possit, facile omnibus probaretur, nisi alia cum ad sententiarum uersuum priorum cursum tum ad totius carminis rationem aptior offerretur: qua probata 'odium Vatinianum' de odio quo Vatinius in Caluum ipsum, ad quem Catullus scripsit, flagrauit intellegitur. hanc sententiam facere non possumus quin cum Vulpio Doeringio Froehlichio Teuffelio Iungclausseno praeter aliam illam probemus. Catullus Caluo 'nisi nimio' inquit 'tui amore tenerer, odissem te odio Vatiniano'. possit quidem (quis dubitat?) 'odium Vatinianum' passiue intellegi, sicuti 'crimina Vatiniana' in carmine LIII 2 non sunt ea quae Vatinius obiecit, sed quae ei obiecta sunt. sed potestas actiua nonne orationi multo aptius adcommodatur? nonne quali odio paene exarsisset, Catullus Caluo ita optime demonstrare potuit ut suum odium cum odio quo inimicus quidam acerrimus et omnibus notus hunc re uera insectabatur conpararet? nonne denique haec sententia 'odissem te tali odio quali Vatinius te odit' multo fortior est quam altera 'odissem te eo odio quod omnes in Vatinium susceperunt'? at Caluumne scimus in odio Vatinii fuisse? nihil hac

re certius esse potest. inter omnes enim constat anno 700/54 mense Sextili (cf. Cic. ad Q. fr. II 15 3) Vatinium a Caluo accusatum et acerrime quamquam frustra (reus enim Caesare auctore absolutus est) inpugnatum esse. cuius accusationis caussa Vatinium odio Calui inexpiabili arsisse consentaneum est. uerum tamen Catullus opinor, cum odium illud Vatinianum adpellaret, non tam odium Vatinii post illam Calui accusationem susceptum quam odium illi caussae praecedens in animo habere potuit. quod cur arbitrer paucis exponendum est. ex uersu quinto decimo adparet Catullum carmen XIIII mense Decembri a. d. XIIII kal. Ian. scripsisse. qua ex re, si odium Vatinii Caluus re uera eius accusatione anno 700/54 perfecta sibi conflauisset, efficeretur ut carmen XIIII eiusdem anni mense Decembri a Catullo scriptum esse uideretur. nec tamen, ut tempus carminis huius in suspenso relinquamus, ullum carmen in libro Catulli inest quod post mensem Sextilem anni 700/54 scriptum esse probari potest. praeterea Catullus, id quod Mommsenus (hist. Rom. III 313) uerissime dispexit et nos adcuratius demonstrare infra conabimur, librum suum anno ipso illo edidit : quo utroque argumento quamquam sententia quam modo de tempore carminis XIIII diximus non funditus refellitur, tamen circumspiciendum est num forte coniectura qua ab explicatione artificiosiore liberemur inueniri possit. talem profecto reperiamus licet. Caluus enim iam biennio amplius ante quam caussa illa ad iudices uenit se Vatinium, praeturae tum candidatum, accusaturum esse palam edixerat. cum enim pridie idus Martias a. 698/56 caussa Sestiana apud iudices ageretur

et Vatinius in Sestium, de ambitu et de ui reum, testimonium dixisset, *L. Aemilius Paullus*, ut Ciceronis (ad Q. fr. II 4 1) uerbis utar, *cum testis productus esset in Sestium, confirmauit se nomen Vatinii delaturum, si Macer Licinius cunctaretur, et Macer a Sestii subselliis surrexit ac se illi non defuturum adfirmauit.* hunc Licinium Macrum eundum hominem atque Caluum de quo disputamus fuisse, etsi Orellius (onom. Tull. p. 354) alterum ab altero seiunxit, tamen certissimum est : cf., ne plures uiros doctos enumerem, Weicherti rel. Lat. poet. 105, 14 Drumanni hist. Rom. IIII 195, 72. itaque Caluus iam ante caussam Sestianam apud iudices actam se Vatinium accusaturum esse publice pronuntiauerat et die illa, qua Sestio cum Cicerone Hortensio Crasso adfuit (cf. schol. Bob. in Cic. Sest. p. 292, 20 Drumanni hist. Rom. v 665, 81 666, 91), ab illo consilio non dum se destitisse coram ipso Vatinio professus est. quam Vatinii accusationem a Caluo instituendam Cicero (in Vatinium 4 10) significauit his uerbis : *honos tali populi Romani uoluntate paucis est delatus ac mihi : salus tanto studio ciuitatis nemini reddita. de te autem homines quid sentiant in honore experti sumus, in salute expectamus.* quo in loco explicando scholiasta Bobiensis (p. 316, 9) eo errauit quod non tam de accusatione instante quam de accusatione iam instituta explicauit. idem enarrator si in eis quae (p. 323, 1) ad Vatinianae 14 34 adnotauit fidem mereret, Caluus praeter accusationem anno 700/54 factam Vatinium iam anno 696/58 primum accusasse uideretur : id quod Drumannus (v 688, 59) pro uero habuit et Ellendtius eorum quae scholiasta dixit non dum notitiam habens

Digitized by Google

(in proleg. ad Brut. p. cxxiiii) coniectura sola consecutus est. haec res quanto opere sententiam nobis probatam defensura sit patet. at scholiasta sicuti in eis quae modo diximus, ita in hac quoque re ualde errauit. qui Vatinium e lege Licinia de sodaliciis a G. Licinio Caluo accusatum esse (cf. schol. in Cic. Planc. p. 262, 6) recordatus cum in Vatiniana Vatinium lege Licinia et Iunia (quae cauit ne clam aerario legem inferri liceret, cf. schol. in Sest. p. 310, 9) anno 696/58 postulatum esse legeret, priorem legem posterioris loco nominauit (p. 322, 18) et insuper etiam eum cuius accusatio Vatinii ex lege Licinia de sodaliciis facta maximam famam et gloriam adepta erat, Caluum dico, anno 696/58 Vatinii nomen detulisse peruerse docuit. quae cum dico, negatum nolo Caluum duplicem accusationem in Vatinium intendisse: quae res ex Taciti dialogo de oratoribus (21 2) certo conligitur. sed utramque hanc accusationem e diuersis legibus institutam anno eodem 700/54 a Caluo factam esse uel eo ueri simillimum est quod Cicero in utraque caussa, ut ex Valerii Maximi memorabilium iiii 2 4 uidemus, Vatinium defendit: quam rem hoc loco adcuratius tractare longum est. ceterum de Vatinii accusationibus primus Mommsenus de conlegiis et sodaliciis p. 70—72 recte praecepit. sed etiam si neque anno 696/58 neque anno 698/56 Caluus Vatinium iam re uera accusauit, tamen, sicuti demonstrauimus, anni 698/56 primis mensibus Caluus palam iam elocutus erat se Vatinium postulaturum esse. itaque in Vatinium per duos amplius annos accusationis et damnationis pericula inpendebant: neque profecto dubitabit quisquam

quin iam illo tempore Vatinius Caluum, quem sibi perniciem moliri sciret, odio quam uehementissimo persecutus sit. minime igitur cogimur ut anno 700/54 exeunte arbitremur carmen XIIII conpositum esse, contra nihil obstat quo minus illud Catullum Saturnalibus anni 699/55 uel 698/56 scripsisse statuamus. breuius de tempore quo carmen LIII *Risi nescio quem modo e corona* poeta fecerit disputari potest. cum enim his uersiculis Catullus cuiusdam de Caluo in Vatinium publice orante facete dictum narret, adparet carmen mense Sextili anni 700/54 scriptum esse. ceterum re uera Caluum crimina Vatiniana mirifice explicasse et tum potissimum exclamatione lepida illa *mágni di, salaputium disertum* dignissimum fuisse partim laudes quibus ueteres scriptores praeter ceteras Calui orationes Vatinianas in primis extollunt (dial. de orat. 34 5. 21 2) documento sunt, partim exclamatione illa, *rogo uos, iudices, num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet?* qua metuens ne illius eloquentia admirabili periret accusatorem interpellauit, Vatinius ipse testatus est.

In carminibus L et LXXXXVI nihil est quo eorum tempora definire possis. poeta desiderio captus Calui, quocum nescio ubi (neque enim, ut ex uersu 8 *atque illinc abii* intellegitur, in Catulli domo neque, si tantum ex uersu 2 *multum lusimus in m e i s tabellis* conligere licet, apud Caluum amici fuerunt) diei proximi otium cum in uino tum in uersibus certatim conscribendis iucundissime consumpserat, carmen quinquagesimum amico misit petitum ut iterum se conueniret et reuiseret. non eloquitur quidem adcurate poeta quales 'preces' (u. 18)

Digitized by Google

ad Licinium mittat, sed conlatis uersibus duodecimo *cupiens uidere lucem ut tecum loquerer simulque ut essem* et septimo decimo *hoc, iucunde, tibi poema feci ex quo perspiceres meum dolorem*, hoc est tui desiderium uehemens quod animum meum pungit, de sententiae quam diximus ueritate dubitari nequit. ceterum Catullus quid Caluum rogarit nescio an ea de caussa in hoc carmine perspicue indicare supersederit quoniam carmen illud eo tantum consilio scripsit ut uocationem, quam seruus aliquis insuper horam et alia quaedam nuntiaturus ad Caluum deferre iussus erat, amico quam maxime posset commendaret.

Carmen LXXXXVI *Si quicquam mutis gratum acceptumue sepulcris* suauissimum Catullus ad Caluum misit, cum is elegis adfectuum tenerrimorum plenis, quorum Propertius quoque (III 33 90) mentionem fecit,

haec etiam docti confessa est pagina Calui,
cum caneret miserae funera Quintiliae,

mortem Quintiliae, mulieris a se amatae, praematuram questus esset. Catullum uersibus duobus extremis

certe non tanto mors inmatura dolorist
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo,

quibus eam de morte sua inmatura eo se quodam modo consolari quod sui memoriam Caluus, amator superstes, maxima pietate prosequatur ait, ad ipsius Calui uersum a Charisio I p. 78 P. seruatum *forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis* respexisse Lachmannus (ad Propertium p. 141), cui Weichertus (rel. poet. Lat. p. 143) et Hauptius (act. societ. litt. Sax. I 53) adsensi sunt, recte intellexit. Quintilia illa quae fuerit ignoratur.

Digitized by Google

namque eius praeter hunc Catulli et Propertii locum quem excripsimus mentio apud ueteres scriptores nulla facta est. uiri docti quod sciam omnes hanc amicam Calui fuisse censent. quod equidem uel propter nomen quo Catullus et Propertius feminam adpellauerunt inprobo. Quintiliae enim, ut luce clarius est et praeter alios O. Iahnius (in act. soc. litt. Sax. I 419) recte adgnouit, uerum nomen est: Turnebi (aduersar. XXI 17) sententia digna non est quae refutetur. uero autem nomine Caluum amicam quandam in carminibus adpellauisse ualde inprobabile est, quia poetae Latini, sicuti notum est et ex eis quae ipsi supra (p. 232) exposuimus patet, nominibus ueris amicarum quas uocabant suarum celatis ficta nomina satis constanter usurpauerunt. itaque Quintiliam non tam amicam quam uxorem Calui fuisse et poetam uxoris carminibus celebrandae nomen uerum non magis quam Lucanum, qui in carminibus nomen uxoris Argentariae non dissimulauit, reticuisse arbitror, neque aliam mulierem fuisse quae apud Diomedem (p. 372 P. 376, 1 Keilii) his uerbis *Caluus alibi ad uxorem 'prima epistula uidetur in uia delita'* commemoratur.

Digitized by Google

XII

Supra cum in capite viiii carmen centesimum decimum tertium, quod de Muciae, uxoris Pompei, moribus corruptis est, explicaremus, de Cinna poeta, cui Catullus carmen illud inscripsit, consulto nihil diximus, quod plura de eo exponenda erant quam quae capiti illi sine legentium incommodo inseri possent. iam uero nihil inpedit quo minus de Cinna adcurate disseramus : simul tamen ea quae de Hortensio et Tanusio poetis Catullus rettulit, cum a disputatione de Cinna instituenda seiungi non possint, in hoc capite tractabimus. praeter illud quod modo commemorauimus carmen cxiii nullum in libro Catulli extat Cinnae ipsi, quem G. Heluium Cinnam fuisse hodie inter omnes constat, inscriptum : contra in aliis carminibus bis eius ita mentio facta est ut Catullo amicissimum illum fuisse facile uidere liceat. locus alter quo Cinna commemoratur hic est (x 29) :

istud quod modo dixeram me habere (lecticam),
fugit me ratio : meus sodalis
Cinna est Gaius : is sibi parauit.

Digitized by Google

uerum utrum illius an mei, quid ad me?
utor tam bene quam mihi pararim.

quo ex loco Hauptius (quaestion. Catull. p. 100) Cinnam simul cum Catullo inter comites G. Memmii in Bithynia fuisse optimo iure conlegit (cf. supra p. 163). idem tamen, ut iam Scaliger intellexit (cf. etiam Merkelium ad Ibin p. 365), etiam ex Cinnae ipsius uersibus quattuor, quibus amico cuidam Arati phaenomena dono misit, ab Isidoro (orig. VI 12 de libr. confic. p. 960) seruatis (in Burmanni Anth. Lat. II 251 apud Meyerum 76 in Weicherti reliq. p. 194) concludi potest. sunt enim hi :

Haec tibi Arateis multum uigilata lucernis
carmina, quis ignes nouimus aetherios,
leuis in aridulo maluae descripta libello
Prusiaca uexi munera nauicula.

praeterea in carmine LXXXXV *Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem* Cinnae carmen, cui Zmyrnae nomen erat, operosum et putida diligentia doctrinaque per nouem annos conglutinatum (cf. etiam Quintil. x 4 4 Philargyr. et Seru. ad Verg. ecl. 9 35 et scholiastae Horatiani ad art. poet. 388) laudibus summis Catullus praedicauit. in hoc carmine LXXXXV explicando et emendando cum omnes interpretes tum nuper Robertus Vngerus in programmate gymnasii Friedlandiensis de Tanusio Gemino, quod Noui Brandenburgi anno 1855 edidit, uehementer desudauit. qui quamquam mendum quoddam carminis recte adgnouit, tamen id sanaturus mira iudicii peruersitate seductus incredibilia praecepit totumque carmen perdite corrupit. quod cum dico, neque tantum

mihi sumo neque arrogo ut ipse nitorem pristinum carmini emendando restituere suscipiam : immo id solum ago ut ad difficultates carminis animos eorum qui legent aduertam atque eas nulla praeiudicata sententia occaecatus exponere coner.

Ea igitur quae ad Cinnam ipsum in carmine LXXXXV spectant dilucida sunt neque quae de Tanusio sunt dubitationes mouent, contra de Hortensio longe aliter se res habet. in disputatione nostra ipsius carminis ordinem sequamur. in primo disticho Catullus ut Cinnam laudet eius diligentiam per nouem annos in Zmyrna elaboranda et perpolienda consumptam commemorat : cui diligentiae quid in altero disticho poeta opposuerit adcurate intellegi non potest, cum pentametro temporum iniuria nobis intercepto hexameter solus hic *milia cum interea quingenta Hortensius uno* ad nostram memoriam uenerit. quod fragmentum si cum disticho primo contuleris neque ad ordinem sententiarum et totius carminis concinnitatem respexeris, facile eis adsentiere qui Cinnae acri curae et studio leuitatem et neglegentiam Hortensii, ut pote qui intra illud nouennium saepe uno die innumerabiles uersus fuderit, oppositam esse arbitrantur (cf. Weicherti rel. poet. Lat. p. 175 Hauptii quaest. Catull. p. 99). quam sententiam qui probauerunt primum rectissime intellexerunt quingenta milia uersuum pro innumerabilibus Catullum dixisse, deinde ad *uno* aptissime temporis aliquod uocabulum suppleuerunt. locutio enim *milia quingenta uersuum* duobus locis ex ipso Catullo sumptis optime defenditur : VIIII 2

Digitized by Google

Veranni omnibus ex meis amicis
antistans mihi m i l i b u s t r e c e n t i s

et xxxvIII 3

Mellitos oculos tuos, Iuuenti,
si quis me sinat usque basiare
usque ad m i l i a *basiem* t r e c e n t a
neque umquam uideor satur futurus.

quingenta milia uersuum Zmyrnae aptissime eam ob caussam opponuntur quod Zmyrna opusculum parui ambitus et uno libro absolutum fuit. Seruius enim (ad Verg. ecl. 9 35) totam Zmyrnam libellum nominauit eodemque Catullus, cum in uersu nono *parua monumenta* dixit, sine dubio spectauit. deinde iuxta *uno* temporis quoddam uerbum desideramus. namque Catullus cum in primo disticho tempus intra quod Cinna Zmyrnam conposuisset et elimauisset diuturnum diligenter notaret, facere non potuit quin in altero breue quoque tempus per quod poeta alius propter festinationem et neglegentiam castigandus uersuum numerum innumerabilem confecisset adcurate indicaret. quod uocabulo *interea* poetam indicare neque uoluisse neque potuisse manifestum est. nam si poeta nihil dixisset nisi Hortensium per nouennium innumerabiles uersus fecisse, unus quisque intellegeret quanto opere haec omnia frigerent. nonne enim nouennium tantum temporis spatium est quantum etiam religioso et diligenti poetae ad permultos uersus conponendos sufficiat? recte igitur temporis uocabulum in uersu quarto fuisse ad u. *uno* relatum uir quidam doctus cuius supplementum Muretus attulit, Weichertus Hauptius

Froehlichius (in comment. acad. Monac. v III 270) arbitrati sunt. at quid de Hortensio statuendum est? omnes qui hodie de lectionis *Hortensius* ueritate non dubitant malum illum poetam Q. Hortensium Ortalum fuisse sibi persuaserunt. quae opinio ualde speciosa est. ille enim uir, qui orator quidem magnam sibi laudem conparauit et cum Tullio diu de eloquentiae principatu certauit, poeta cum eodem Cicerone conponendus est, cuius carmina nemo ignorat quam sint misera. Gellius enim noctium Atticarum loco quem iam supra p. 255 excripsimus praeter pauca Catulli et Calui carmina quicquam cum Anacreonticis carminibus conparari posse negauit. *nam* inquit *Laeuius implicata et Hortensius inuenusta et Cinna inlepida et Memmius dura ac deinceps omnes rudia fecerunt et absona.* accedit ut Cicero (orator. 38 132) Hortensium iudicauerit melius dixisse quam scripsisse. quo in loco Quintiliani de eodem iudicium nititur. qui postea quam (XI 3 5) adfirmauit uel mediocrem orationem uiribus actionis commendatam plus quam optimam eadem illa destitutam habere momenti, non nullis oratoribus in quibus actio dominetur enumeratis his pergit uerbis : *hac* (actione) *Gn. Lentulum plus opinionis consecutum quam eloquentia tradit* (M. Cicero), *eadem G. Gracchum . . . et Antonium et Crassum multum ualuisse, plurimum uero Q. Hortensium. cuius rei fides est quod eius scripta tantum infra famam sunt, qua diu princeps orator, aliquando aemulus Ciceronis existimatus est, nouissime quoad uixit secundus : ut adpareat placuisse aliquid eo dicente quod legentes non inuenimus* (cf. etiam Ciceron. diu. in Caecil. 14 46 Brut. 88 303 Valer. Max. memorab.

Digitized by Google

VIII 10 2). cum igitur etiam orationes Hortensii, quibus gloriam nactus est maximam, in reprehensionem grauem inciderint, quanto plus uituperationis uerendum est ne eius carmina meruerint, quorum uitiis uix ulla actione succurri potuit. tamen inpudicitiam qua Hortensii carmina, ut ex Ouidii tristium II 441 *nec minus Hortensi nec sunt minus inproba Laeui carmina* et ex Plinii epistularum V 3 5 uidemus, infamia fuerunt Catullus, qui scripsit (XVI 5) *nam castum esse decet pium poetam ipsum, uersiculos nihil necesse est*, uituperare non potuit. quae cum ita sint, non absurde agere ei uideri possunt qui Hortensii carmina inuenusta a Catullo uersu illo uituperata esse concedunt. at nonne ad eundem Hortensium Catullus carmen LXV *Etsi me adsiduo confectum cura dolore* simul cum carmine LXVI *Omnia qui magni dispexit lumina mundi* e Graeco Callimachi conuerso misit? profecto: omnes quidem hodie consentiunt. nihilo minus cauendum est ne hac re ad sententiam quam modo de disticho carminis LXXXXV altero commemorauimus infringendam temere abutamur eo offensi quod in carmine LXV Catullus ad Hortensium amice scripserit, contra in carmine LXXXXV inimice eum persecutus sit. nihil enim in carmine LXV inest, si diligentius inuestigamus, quod interiorem Hortensii et Catulli amicitiam fuisse testari possit. nam Catullus in epistula (LXV) comam Berenices Callimacheam in Latinum sermonem conuersam comitante nihil prorsus dixit quo aut Hortensii et suam amicitiam aut illius amorem poesis aut carmina aut ullum ingenii illius fructum laudaret: in eis enim uersibus quos statim subscribam praeter urbanitatem

Digitized by Google

quandam inter homines morum elegantiorum uulgarem eo minus aliud quicquam adgnoscere debemus quo lubentius poeta morte fratris nupera grauiter adflictus doloris relaxationem et solacium studiis poeticis parare sibi uoluisse uideri potest. en habes uersus quos dixi :

sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
haec expressa tibi carmina Battiadae
ne tua dicta uagis nequiquam credita uentis
effluxisse meo forte putes animo.

sed etiam si carmen LXV uerae Catulli et Hortensii amicitiae testem habere lubeat, quid inpedit, si in carmine LXXXXV Hortensium a Catullo inimice tractatum inuenimus, quo minus illos ex amicis inimicos factos esse iudicemus? num hoc in Catullo mirari liceret? nonne poeta Veronensis, ut uno exemplo utar, Gellium, cui olim et ipsi amicus fuit, cui ipsi quoque item Callimachea carmina uti Hortensio dono misit, postea carminibus acerrimis persecutus est? uides igitur ex huius modi ratiocinationibus decerni non posse num iure an iniuria in carmine LXXXXV Hortensius commemoratus sit. — Ceterum de carmine LXV emendando iam longe aliter sentio quam supra (p. 180) Lachmanni restitutionem carminis illius probans dixi. quae cum scriberem, Friderici Haasii miscellaneorum philologicorum libro III Vratislauiae anno 1861 edito non dum uti mihi licuit, in cuius capite V (p. 13—16) uir ille egregius carmen LXV et carmen CI una emendatione incohata quidem ab aliis uiris doctis nec tamen perfecta optime sanauit. etenim Rossbachius iam in editione anni 1854 (p. XVI) haec scripsit : *uersus 9*

Digitized by Google

deest in libro Germanensi Colbertino Santeniano, mihi suppositicius esse uidetur. uersus 10—14 aliunde huc inlatos esse arbitror, quare eos uncis includendos puto. licet enim eleganter scripti sint nec ulla sit dubitatio quin ab ipso Catullo sint profecti, tamen orationis cursum nimis retardant et interrumpunt. sed Rossbachius ipse huic coniecturae suae, qua ueri bonam partem adgnouit, eo ualde nocuit quod etiam uersus 19—24 carminis LXV, quos pro fragmento carminis Callimachei quod et ipsum Catullus uerterit habuit, a carmine LXV seiungi iussit. conparationem enim illam, quae uersu undeuigesimo et uigesimo absoluta est (nam qui secuntur uersus quattuor ad eam adcuratius inlustrandam adpositi sunt), artissime cum uersibus septimo decimo et duodeuigesimo cohaerere sole est clarius, praesertim cum uel singula uersuum illorum quattuor (17—20) uocabula in uicem sibi respondeant. sensus planissimus hic est : 'mitto tibi haec carmina, ne uerba tua ita e memoria mihi excidisse putes ut malum ab amatore missum ex gremio puellae inprouiso excidere solet'. ceterum, ut uerbum de tempore quo Catullus carmina LXV et LXVI scripsisse uideatur addam, iam supra p. 180 ex uehementia maeroris quo poeta in priore carmine fratris obitum prosecutus est hoc quidem anno 694/60 scriptum esse coniecimus : qua definitione si ueritatem adsecuti sumus, etiam carmen LXVI anno illi ascribendum est : duo enim illa carmina, ut uidimus, paene aequalia sunt. — Lachmanni supplementis remotis et uersibus 9—14 resectis et ultimis illis (19—24) ut par erat reseruatis carmen LXV O. F. Gruppius in Minois p. 8 primus omnino recte emendauit,

18

Digitized by Google

qui Rossbachianae editionis prius ignarus ne in addendis quidem libri sui p. 579, ubi Rossbachii de uersibus 19—24 a carmine LXV separandis opinionem inpugnauit, huius et suum de uersibus 9—14 eiciendis consensum commemorare uoluit. sed Gruppius idem eo uehementer errauit quod uersus illos 9—14 eiciendos ab interpolatore quodam, quales scilicet ille ubique odoratur, ex carmine CI fictos esse contendit : cuius sententiae peruersitatem Haasius demonstrauit. multo prudentius ante Gruppium Rossbachius de uersuum horum origine uere Catulliana non dubitauerat. cum igitur uersus illos carmini LXV demendos esse intellectum esset nihiloque tamen minus Catullianos esse, inquirendum erat num forte aliud carmen cui essent inserendi reperiri posset. hunc locum indicasse Haasii meritum est, qui uersus sex illos post carminis CI uersum sextum addendos esse uidit. *hunc enim locum,* ut ipsis Haasii uerbis utar, *defectu laborare eumque sic aptissime expleri facile demonstrari posse arbitror. manifestum autem indicium defectus est in uocibus 'nunc tamen interea', quibus necesse est aliquid nunc facere poetam intellegamus quod non uult semper fieri, sed 'interea', i. e. donec aliud quid fiat uel fieri possit : id autem diuersum esse necesse est. quaeramus igitur quae illae res diuersae sint, quarum alteram aliquando facturus sit, alteram, donec id fieri possit, faciat interea : reperimus autem in duabus carminis partibus, quae uocibus 'nunc tamen interea' separantur, non duas res commemorari sed unam, inferias quae muneribus more patrio traditis et adlocutione manium constant. nemo erit qui aliam praeterea rem a Catullo commemorari, nemo qui 'interea' uocem um-*

Digitized by Google

quam aliter quam de duabus rebus diuersis intellegi demonstrare possit : atque hoc quidem ut ipsa uocis natura et origo, ita etiam frequens poetarum usus planum facit. ipse Catullus ait XXXVI 18 '*at uos interea uenite in ignem, annales Volusi, cacata charta*' *: ita uotum soluitur quod puella Veneri uouerat : atque id fit interea, donec intellegatur, quod antea dictum est, uotum id gratum et acceptum Veneri esse.* alia exempla quae ex Tibullo et Ouidio Haasius addidit non opus est hic excribere, cum ex ipso Catullo alterum etiam exemplum aptissimum praeter illud ab Haasio commemoratum proferri possit. cf. XIIII 21 *uos hinc interea ualete abite* : poeta promisit se munus amici perniciosum pari munere relaturum esse : quod ante quam fieri posset, munus illud in malam crucem abire et ualere iussit. uide etiam LXIIII 306 et LXXXXV 3. haec uerissime sine dubio ab Haasio disputata sunt. cuius reliquam disputationem prius quam referre pergimus, non nulla de coniectura dicenda sunt qua Rossbachius illud ipsum *interea* temptauit. qui, cum in libris Germanensi Colbertino Santeniano optimis locus ille ita *nunc tamen interea hoc* exaratus sit, scribendum esse coniecit *nunc tamen in terra hac.* qua coniectura nihil cogitari potest mendosius. ut nec de sententia illius *in terra hac* ieiuna et obtusa nec de uocabulo *tamen* aeque inepte atque illud *interea*, si lacuna non adgnoscitur, posito (expectamus enim *igitur* aut simile quid) quicquam dicam, falsam esse illam coniecturam ex imitatione quadam eius qui Cirim scripsit adcurate effici potest. qui poeta cum alias saepissime Catullum imitando expressit (cf. praeter N. Heinsium Schraderum alios Silli-

18 *

Digitized by Google

gius ad Cirim p. 155 et M. Hauptius in actis acad. Berol. menstruis anni 1858 p. 659) tum ad exemplum uersuum 7—9 carminis CI Catulliani hos uersus (43—45) adcurate conformauit :

haec tamen interea quae possumus, in quibus aeui
prima rudimenta et primos exegimus annos,
accipe dona meo multum uigilata labore.

hac manifestissima imitatione lectio *interea* tam egregie defenditur ut nemo Rossbachii coniecturam commendare suscipiat. sed eadem haec imitatio emendationem lectionis illius *nunc tamen interea hoc* a testibus optimis confirmatae nobis monstrat, quam Lachmannus libro Datano nimium confisus inmerito repudiauit. etenim ex illa corruptela, id quod post interpolatores Italos et grammaticos quosdam Heysius recte uidit, haec restituenda sunt *nunc tamen interea haec.* quae ita iam poeta Ciris legit, qui postea quam *nunc* Catullianum in duobus uersibus proximis omnia rhetorum more amplificans bis posuit, uerba reliqua *tamen interea haec* ita transposuit *haec tamen interea.* itaque *interea* retinendum est. offensio autem de carminis totius contextu ab Haasio iure notata nulla promptiore medicina quam illa ab Haasio ipso adhibita tolli posse uidetur. quae si probatur, poeta, ut Haasii uerbis pergam, *ait primum se longo itinere confecto aduenire ad fratris inferias, quem sibi fortuna indigne abstulerit : 'non iam' inquit 'adloquar te nec tu me, non iam te aspiciam, at certe semper amabo semperque amorem testabor maestis carminibus., qualia perpetuo Philomela concinit fata Ityli gemens. interea tamen, i. e. donec*

Digitized by Google

carmina illa edam, prisco more inferias tibi multis cum lacrimis fero et in perpetuum tibi uale dico'. hoc supplemento auctum carmen CI, ut de sententiae illius, quam P. Boehmius quoque in quaestionibus Catullianis Bonnae 1862 editis p. 10 merito adprobauit, ueritate facilius iudicari possit, hoc loco subscribere placet.

Multas per gentes et multa per aequora uectus CI 1
aduenio has miseras, frater, ad inferias
ut te postremo donarem munere mortis
et mutam nequiquam adloquerer cinerem,
quando quidem fortuna mihi te te abstulit ipsum, 5
heu misero indigne frater adempte mihi.
adloquar audiero numquam tua facta loquentem, LXV 9
numquam ego te, uita frater amabilior, 10
aspiciam posthac : at certe semper amabo,
semper maesta tua carmina morte canam,
qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli.
nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum CI 7
tradita sunt tristis munera ad inferias,
accipe fraterno multum manantia fletu
atque in perpetuum, frater, aue atque uale. 10

uides quam egregie omnia conspirent. uersus nonus (*adloquar*) in bonis quibusdam libris omissus quin a Catullo profectus sit et propter illud futurum exactum *audiero* sensu subtiliori positum quam quem interpolator quidam repperisset, et propter lacunam uersus huius in Datano et Parisino priore extantem in aliisque libris uario modo expletam dubitari non potest. neque in eo offen-

Digitized by Google

dendum quod pronomen *te* in uersu nono omissum sit, cum plane eadem ratione id in uersu 11 *at certe semper amabo* reticeatur. cur autem uersus illi sex sedem suam mutarint adcurate explicari nequit: sed cum alibi quoque in libro Catulli uersus alieno loco positi sint, caue ne nimis hac re sollicitere. uersus illi cum nescio quo casu loco suo pulsi essent, alicubi margini ascripti fuisse uidentur, donec, cum de fratris morte essent, loco quo de eadem re quereretur poeta insererentur. haec quam exposui Haasii coniectura si iam tum cum in capite octauo de morte fratris Catulli dissererem ad notitiam meam uenisset, non nulla aliter dicenda mihi fuissent, quod adnotasse satis habeo, cum longiore disputatione de rebus minutis illis opus non sit.

Nihil igitur, ut disputatio tandem aliquando redeat unde egressa est, in carmine LXV reperitur quod amicitiam Catulli et Hortensii interiorem fuisse probet. neque esset quod in reprehensione carminum Hortensii in carmine LXXXXV facta offenderemus. contra alia ex parte grauiores dubitationes de Hortensio in uersu tertio commemorato mouentur. quae quales sint melius exponi poterit, si carmen totum antea usque ad finem enarrauerimus.

Inde ab tertio carminis LXXXXV disticho Catullus Zmyrnae gloriam usque ad terras remotissimas penetraturam et per saecula multa duraturam esse auguratur, Volusii contra annales patriam numquam egressuros ait obliuione matura ac merita obrutum iri. de uersuum quinti et septimi scriptura post Hauptii disputationes (quaest. Catull. p. 97 et obseru. crit. p. 1. 2) dubitari nequit: Vngerus de Valgio p. 470 et de Tanusio Gemino p. 12. 13

Digitized by Google

uana oblocutus est. Satrachum fluuium Cypri insulae hoc loco Catullum nominasse Weichertus (rel. poet. Lat. p. 179, 18) primus ex Tzetzae ad Lycophronis Alex. 448 enarratione (*Σάτραχος πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου. τινὲς δὲ διὰ τοῦ ε γράφουσι Σέτραχον*) demonstrauit. postea Hauptius nomen illud testimoniis duobus aliis Nonni Dionysiacorum XIII 459 et etymologici magni p. 117, 39 bene muniuit simul scite adnotans Catullum Satrachi, fluuii Cyprii, non sine acumine quodam mentionem fecisse, quando quidem de Cypria Zmyrna siue Myrrha Cinnae carmen fuerit. in eas ipsas igitur regiones quas Cinna carmine illo celebrauerit Catullum augurari Zmyrnam missum iri. Paduam Padi fluuii ostium esse quoddam iam pridem Robertus Titius (locor. controu. x 3 p. 251 et assertionis p. 204) ex Polybio (II 16 p. 117, 25 Bk.) dispexit: *ὁ δὲ Πάδος σχίζεται εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους. τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα, τὸ δὲ ἕτερον Ὄλανα.* cf. etiam Vibii Sequestri p. 26 Oberlin. *Padua Galliae a Pado dicta.* ita enim librorum scriptura *Padue* uel *Paduae* emendanda est, non cum Oberlinio in *Paduse* uel cum Vngero in *Padusa* (de Valg. p. 252 de Tan. Gem. p. 17) mutanda. hanc ad Paduam quoniam Volusii annales morituros esse Catullus praedicit, Volusium illum Padi adcolam fuisse iam pridem intellectum est. neque minus apertum Volusii nomen Catullum pro uero Tanusii Gemini finxisse. quae sententia loco ex Senecae epistularum XV 1 (93) 9 p. 495 Fickerti desumpto nititur hoc: *non tam multis uixit* (Metronax philosophus) *annis quam potuit. paucorum uersuum liber est et quidem laudandus atque utilis.*

Digitized by Google

annales Tanusii scis quam ponderosi sint et quid uocentur. hoc est uita quorundam longa quod Tanusii sequitur annales. uerbis *scis quid uocentur* ad Catulli uerba illa *cacata charta* Senecam respexisse iam Muretus ad carmen xxxvi 1 intellexit, quo carmine poeta Veronensis Volusii annales uehementer inrisit (cf. uersus 1 *Annales Volusi, cacata charta* 6 *electissima pessimi poetae scripta* 19 *pleni ruris et inficetiarum annales Volusi, cacata charta* et supra p. 122). *Senecae postrema* inquit Muretus *uerba ('quid uocentur') huc referebam, ubi eos Catullus 'chartam cacatam' uocat, sed tamen hoc non ualde adseueranter adfirmauerim. etenim apud Senecam 'Tanusii' non 'Volusii' legitur.* cf. praeter Turnebum aduers. xv 22 Lipsium ad Senecae locum Vossium ad Catullum obseruat. p. 87 Furlanettum, qui ad Forcellini lex. IIII 481 : *Volusius* inquit *poeta ineptus Patauinus, qui Ennium secutus rerum gestarum populi Romani annales carmine scripsit. sunt qui putant eundem fuisse ac Tanusium Geminum.* sed adcuratius et subtilius de hac re Hauptius (quaest. Catull. p. 98) disputauit. cum Volusii et Tanusii nomina in easdem exeant litteras neque de aequabilitate mensurae dubitare liceat, cum et annales Volusii (cf. xxxvi 6) et annales Tanusii (id quod ex Metronactis philosophi libro paucorum u e r s u u m a Seneca cum Tanusii annalibus conparato conligendum est) uersibus scripti fuerint, cum annalium Volusianorum amplitudo exiguitati Zmyrnae Cinnae opponatur, cum Seneca de Tanusii annalibus idem quod Catullus de Volusii annalibus iudicet, cumque Senecam ad iudicium de Tanusii annalibus quoddam in uulgus notum prouocantem paene certum sit illud

Digitized by Google

cacata charta, quod de Volusii annalibus Catullus dixerat, tetigisse, denique cum temporis ratio non modo non obstet quo minus Tanusium aequalem Catulli fuisse arbitremur, sed id ipsum eo quodam modo probetur quod Suetonius (Iul. 9) Tanusium Geminum, qui etiam a Plutarcho (Caes. 22) commemoratur, inter auctores quos in uita Caesaris narranda secutus sit rettulit (Suetonium enim in uita Iulii auctores nullos nisi Caesari aequales testes produxisse Hauptius qu. Catull. p. 99 demonstrauit), dubium esse non potest quin Catullus falso Volusii nomine (cf. supra p. 233) usus Tanusium adpellauerit : id quod praeter uiros doctos quos diximus etiam Bernhardius (hist. litt. Lat. p. 531 not. 489) Vngerus Iungclaussenus recte statuerunt. at restat quaestio quam neque Hauptius neque alius quisquam mouit. cur tandem Catullo Tanusium falso Volusii nomine nominare placuit? nonne Caesarem Memmium Pisonem alios uiros nobilissimos et grauissimos Catullus, cum acerbissime in eos inueheretur, suis adpellauit nominibus? supra (p. 238) Catullum uidimus Caesaris gratia Mamurrae, quem prius nomine eius uero usus perstrinxerat, postea Mentulae nomen indidisse ut eum inridere pergere posset. simili ex caussa putauerim poetam Veronensem Tanusii nomen dissimulasse. Tanusius, ut conprobauimus, Padi adcola fuit itaque Catulli popularis. qua ex re conicio Catullum Tanusii nomen celantem ad necessitudinem aliquam quae inter utriusque poetae familiam intercesserit aut ad simile quid cum patria et origine communi poetarum amborum conexum respexisse.

Digitized by Google

Denique ad distichum quintum inlustrandum uenimus ita fere in libris scriptum:

parua mei mihi sint cordi monumenta . . . .
at populus tumido gaudeat Antimacho.

de quibus uersiculis olim Statius haec scripsit: *quin uero hoc aliud sit epigramma aut pars potius epigrammatis ne dubitandum quidem uidetur.* re uera postea hoc distichum a carmine LXXXXV ut epigramma per se absolutum esset Lachmannus, quem Hauptius secutus est, disiunxit. sed hi uiri docti cur ita iudicauerunt? nonne res in disticho quinto tractata optime cum eis quae in distichis quattuor prioribus sunt congruit? id ipse Hauptius concessit, qui haec (quaest. Catull. p. 99) *duos* inquit *uersiculos 'Parua — Antimacho' Lachmannus scite separauit. nihilo minus paruorum monumentorum nomen ad Cinnae carmina referendum esse credo, si recte Hieronymus Auantius priori uersiculo addidit 'sodalis'. atque sodalem suum Catullus Cinnam adpellat* x 29. profecto nequaquam dubitari potest quin distichum illud ad Cinnam spectauerit: cuius sententiae argumentum grauissimum in monumentorum paruorum et tumidi Antimachi oppositione inuenimus. utrumque enim nomen adiectiuum de ambitu carminum intellegendum est: id quod de Cinnae paruo libello Zmyrnae facilius adparuit quam etiam Antimachi carmina in primis Thebaidem, quacum aliud carmen epicum, annales Tanusii hoc uersu conparantur, propter magnitudinem et longitudinem inmodicam et molestam totius antiquitatis consensu uituperatam (cf. Cic. Brut. 51 191 Hor. a. p. 146 cum scholiastarum

Digitized by Google

narratiunculis Plut. de garrul. p. 513 Luc. de hist. conscrib. 57 Welckeri cycl. ep. I 102) tumidorum nomine a Catullo hoc loco insignita fuisse. hanc uerissimam uerbi 'tumidi' explicationem post Muretum et Turnebum (aduers. XXVIII 38 p. 1085) Weichertus (rel. poet. Lat. p. 182) Bernhardius (hist. litt. Graec. II 1 288) Vngerus (de Tan. Gem. p. 6) recte tuiti sunt. iam uide quam apte Cinnae paruus libellus tumido Tanusio opponatur, cuius annales ex Seneca scimus maxime ponderosos fuisse, quorumque magnitudinem etiam Catullus respexit, cum laxas scombris tunicas eos daturos esse dixit. quae cum scribimus, nomine Antimachi Tanusium significasse Catullum contendimus, quae res certissima est. Antimachum autem ipsum Graecum poetam hoc loco a Catullo significatum esse, id quod interpretes Catulli omnes crediderant, primus Fridericus Osannus (ad Apuleium de orthogr. p. 24) recte negauit, quamquam Proculum quendam Callimachi imitatorem ab Ouidio epistul. ex Ponto IIII 16 32 commemoratum (ex quo loco Ouidiano Apuleius ille personatus sua §. 4 et 43 furatus est) a Catullo Antimachi nomine designatum esse arbitratus tota re errauit (cf. etiam Merkelius ad Ibin p. 366).

Cum igitur uersus nonus et decimus cum praecedentibus tam arte cohaereant, cur uersus illos a proximis separatos uoluerunt Statius Lachmannus Hauptius? non dubito quin eadem sit caussa quae et Froehlichium et Vngerum mouit ut Hortensii nomen in uersu tertio locum habere potuisse negarent. neque enim carminis sententia uniuersa recte procedere uidetur. quod ut

Digitized by Google

adpareat hoc loco summam carminis breuiter conplecti lubet. poeta igitur haec fere dixit : 'cum Cinna libellum suum quam diligentissime et diutissime elaborauerit ualde ab Hortensio discrepans in dies uersus innumerabiles temere effundente, cum Cinnae Zmyrna tam egregium sit carmen ut id usque ad terras et saecula remotissima mirum quantum a Tanusii annalibus neque patriam neque aetatem suam egressuris diuersum penetraturum esse certo augurer, equidem plebi inperitae molis uastae Tanusii admirationem relicturus Cinnae Zmyrnam exigui quidem ambitus sed pretii maximi semper diligam et in sinu gestabo'. in hoc sententiarum progressu uiri docti iure meritoque offenderunt. quis enim tantam inuenustatem Catullo inputare potest ut poetam, postea quam in carminis parte priore primum Zmyrnae Hortensii et Tanusii carmina mala opposuerit, in fine uim totius carminis conprehensurum Hortensii oblitum Tanusii solius mentionem fecisse credat? huic incongruentiae duplici ratione uiri docti mederi temptarunt. etenim Lachmannus et Hauptius disticho quinto remoto carmen LXXXXV uersu octauo concluserunt : quoniam illo detracto nihil inpediat quin Zmyrnam primum cum Hortensii deinde cum Tanusii carminibus conparatam esse arbitremur. sensus carminis ita mutilati hic esset : 'Cinna in Zmyrna conscribenda diu et diligenter uersatus est, sed Hortensius uersus innumerabiles quam breuissimo tempore effundit : Cinnae carmen ad regiones extremas et saecula remotissima perueniet, sed Volusii annales nullius pretii in sua ipsorum patria regione mox peribunt'. at quid hac emen-

Digitized by Google

dandi ratione proficimus? si quid uideo, ex carmine uno loco corrupto duo constituuntur carmina quorum utrumque mendosum est. ne longiores simus, octo illos uersus, etsi rudis et inperita conpositio carminis neminem fugere potest, per se stare posse concedamus. uerum quid altero illo carmine faciamus quod ex disticho quinto unico fit? putemusne hoc esse absolutum epigramma? hoc nego atque pernego. Catullum in uersu nono parua monumenta commemorasse amici cuiusdam sui certum est (nullius pretii, etsi Merkelius ad Ibin p. 366 aliter iudicauit, supplementum *laboris* est, quod interpolatoribus debetur), quem quo modo designauerit incertum: Auantius in fine uersus *sodalis* Bergkius (ephemerid. scholast. 1835 nr. 37) et Heysius *Philetae* Rossbachius *Phanoclis* alii alia addiderunt: in ultimo uersu Antimachi tumor commemoratur. quis ille est cuius monumenta parua nominantur? quis ille Antimachus? hoc ex carminis totius sententia cognoscatur necesse est. sed si ex solo disticho quinto Catulli carmen constitit, nihil in carmine est unde discamus quos Catullus dixerit. quid multa? clausula epigrammatis disticho illo efficitur, non integrum epigramma. quanto melius et pulcrius omnia congruunt, si quinto disticho cum praecedentibus coniuncto uitium, quo sine dubio carmen hoc laborat, non in disticho quinto, quod, si sensum spectas, ut Hauptius concessit, cum proxime antecedentibus artissime cohaeret, inuestigemus sed in altero disticho adgnoscamus, quod in libro archetypo quam male habitum sit uel pentameter amissus demonstrare potest, et carmini ita succurramus ut Hortensio expulso

Digitized by Google

ad Tanusium, de quo distichum quartum est, alterum quoque distichum referamus: hoc fieri oportere et Froehlichius (comment. acad. Monac. v III 270) et Vngerus (de Tan. Gem. p. 6) alter alterius sententiae inscius recte intellexerunt, quamquam in disticho secundo emendando uterque infelicissime rem gessit. namque Froehlichius uersum tertium ita corrupit *milia cum interea ter quinque Tanusius uno*, adnotans poetam annalium in carminibus XXXVI et LXXXXV a Catullo uituperatum nomen Tanusii Volusii habuisse: Hortensium enim neutiquam hoc loco nominatum esse posse. similem igitur Froehlichius uiam ingressus est atque olim Antonius Parthenius, qui cum non amplius unum aemulum Cinnae a Catullo in hoc carmine opponi potuisse recte intellegeret, tamen unum illum 'Hortensium Volusium' nominans tota re falsus est. Vngerus autem ad eam rusticitatem peruenit ut haec pro Catullianis uenditaret:

3 *milia cum interea quingenta H o r t e n s i b u s uno*
[scripta stilo uersum prompserit ars Volusi.]
7 *at Volusi annales b e t a m morientur ad ipsam*
et laxas scombris saepe dabunt tunicas.

quae omnia licet peruersa sint, tamen nihilo minus ordo sententiarum obstat quo minus in uersu tertio Hortensium nominatum esse statuere possimus. praeterea autem alia quaedam, ut Vngerus recte docuit, in rebus ipsis insunt quae Hortensii nomen exterminandum esse demonstrant. num enim probabile est Catullum in eodem carmine quo Tanusium, hominem mediocris aut nullius auctoritatis, caussis quibusdam motus tecte signi-

Digitized by Google

ficare uoluit, Hortensium, uirum grauissimum et maximae auctoritatis, quocum insuper consuetudine aliqua coniungebatur, palam uituperasse? deinde cum Hortensius carminibus conponendis nisi horis subsiciuis non uacaret neque carmina, ut ex eis quae supra diximus manifestum est, maioris ambitus, sed parua tantum uersiculis paucis concepta plerumque amatoria scriberet, qua ratione de quingentis milibus uersuum ab Hortensio intra certum quoddam breue temporis spatium scriptorum Catullus loqui posset? contra eadem de Tanusii ponderosis annalibus optime dici potuerunt, ad quorum magnitudinem in uersu 8 uerbum *laxas* et in u. 10 uerbum *tumido* spectant. ideo nos quidem, quamquam libere profitemur nescire quo modo illud *Hortensius* emendandum sit, minime tamen dubitamus quin uituperatio a Catullo in disticho altero pronuntiata in Tanusium dicta sit. quod si statuimus, conpositio carminis maxime plana et concinna est neque quicquam rerum obstat. alternis enim distichis Catullus Cinnae laudes et Volusii uituperationes exposuit usque ad distichum quintum, quo poeta uim totius carminis ita conplexus est ut in hexametro suum Cinnae amorem, at contemptum Volusii suum in pentametro aperiret. quae cum ita sint, ex carmine LXXXXV adparet Catullum Zmyrnam Cinnae plurimi aestimasse et Volusii annales, id quod ex carmine XXXVI quoque manifestum est, nihili habuisse : contra de Hortensio, cuius nomen nescio quali et cuius errore in uersum tertium inculcatum sit, nihil inde conligi posse. ceterum cum quando Cinna Zmyrnam et annales Volusius ediderint non adcurate sciamus,

Digitized by Google

definiri non potest quo tempore Catullus carmen LXXXXV scripserit. Merkelius (ad Ibin p. 366) quibus auctoribus et quibus argumentis conlegit Zmyrnam ante annum 700/54 editam esse ignoro. tamen, si propter Volusii uituperationem similiter in carmine XXXVI et in LXXXXV factam haec carmina duo eodem fere tempore scripta esse conligere placet, anno fere 696/58 carmen nonagesimum quintum nescio an attribui possit (cf. supra p. 122. 134). quae sententia etsi quanto opere dubia sit non ignoramus, tamen eis quae Lachmannus ad Lucretium p. 174 adnotauit refutari non potest. qui cum dixit Heluium Cinnam in Zmyrna non multo post Lucretii obitum (699/55) genetiuo *tabis* usum esse arbitratus, ut uidetur, Cinnam in Zmyrna elaboranda inde ab anno 699/55 usque ad annum 708/46 occupatum fuisse definitione sua aetatis Catulli usus est, quam prorsus reiciendam esse supra (p. 47) demonstrauimus. sed fac illam aetatis Catulli definitionem recte se habere, tamen nihilo minus illa Zmyrnae editionis definitio Lachmanni arbitratu quodam magis quam necessitate facta uideretur. quid enim statuere cogit post Lucretii demum mortem Zmyrnam in lucem emisisse Cinnam?

Digitized by Google

XIII

In capitibus libelli huius proximis de Caluo Cinna Hortensio Tanusio poetis disputauimus. his in tertio decimo capite reliquos doctos amicos Catulli, de quibus breuius disseri potest, adiungere placet. quibus doctis amicis quod aliquot interposuimus qui neque in doctis neque in amicis omni iure numerari possunt, eo hoc fecimus consilio ne disputationem nostram in particulas nimis exiguas discerperemus.

Agmen Varus quidam ducat, ad quem Catullus carmen xxii *Suffenus iste, Vare, quem probe nosti* scripsit. neque caussa est cur dubitemus quin idem Varus sit cuius de amica inpudentiore Catullus in carmine x, quod modo ex Bithynia reuersus scripsit (u. supra p. 174), festiue iocatus est. quis ille Varus fuerit Catullus adcurate non eloquitur, sed cum ad Varum de Suffeni carminibus rudibus atque inuenustis scribat, coniectura in promptu est illum a musis non fuisse alienum, fortasse ipsum carminibus pangendis operam dedisse. Hauptius in obseruationibus criticis p. 24 *in decimo* inquit

Digitized by Google

carmine non L. Varium familiarem Horatii commemorari, quae opinio fallaci specie nuper fucata est, sed Varum, ut recte intellexit Lachmannus, et quis ille fuerit Varus rectius expositurus esse mihi uideor in alio libello, in quo de uita et carminibus Catulli disseram. quem librum cum Hauptius non dum ediderit, nobis ipsis experiendum est num quem Varum adlocutus sit Catullus contingat ut reperiamus. atque hoc primum Hauptius rectissime uidit sicuti olim Isaacum Vossium (obseruat. p. 22) ita nuper Weichertum (de L. Varii et Cassii Parmensis uita et carminibus. Grimae 1836) — is enim est cuius nomen Hauptius reticuit — cum L. Varium Horatii et Vergilii familiarem a Catullo commemoratum esse crediderunt, tota re errasse. boni quidem libri in carmine x 1 *Varus me meus ad suos amores* lectionem *Varius* praebent : ita Sangermanensis Santenianus omnes Statii et aliquot Vossii codices, contra libri P_1 et P_2 et Hamburgensis *Varrus* habent, in Furiano Puteano Dresdensi *Varus* legitur, quod etsi uerum est, tamen librorum horum auctoritate defendi non potest : libri Datani scriba ab initio carminis praecedentis lectionem *Verannius* mutuatus est. at tamen illud *Varius* uel propter uersus numerum probari nequit. namque, ut supra p. 229 diximus, Catullus i uocalem in consonam mutari numquam siuit. Varium igitur Catullus non commemorauit, sed ut in carmine xxii Varum. quem Varum cum Alfeno carminis xxx a multis uiris doctis falso coniunctum et pro P. Alfeno Varo iuris consulto habitum esse item iam supra p. 83 explicauimus. sed quisnam Varus ille fuit ? e numero interpretum Muretus solus quandam ueri praesensionem

Digitized by Google

habuisse uidetur, quamquam eam ipse falsis opinionibus obruit. namque *Catullus* inquit *Quintilium Varum Cremonensem dicit, hominem belli pacisque artibus clarissimum, qui postea in Germania cum tribus legionibus caesus est.* in his Muretus duos homines, alterum Quintilium Varum Cremonensem alterum P. Quintilium Sex. f. Varum in Germania anno 762/9 occisum, confudit. qua de re, cum insuper temporum rationes mirum quantum neglexisset, iure a Scaligero notatus est. similiter Parthenius Varum Cremonensem cum L. Vario Rufo conmiscuit: tamen horum neutrum sed Varum in Germania ducem eundem quem Muretus et Torrentius quoque (ad Horatii carm. I 18) dixerunt a Catullo designatum esse statuisse uidetur. re autem uera, quoad hodie cognoscere possumus, Varus ille Cremonensis fuisse uidetur is quem Catullus in carminibus x et XXII significauit. de quo uiro haec dicenda sunt. Hieronymus ad Eusebii chron. ann. 730/24 ex Suetonio (p. 43 Reiffersch.) haec adnotauit: *Quintilius Cremonensis Vergilii et Horatii amicus moritur.* eodem illo anno Horatius de ipsa Quintilii morte ad Vergilium libri I carmen XXIIII scripsit. uideas in primis stropham alteram:

ergo Quintilium perpetuus sopor
urget. cui Pudor et Iustitiae soror,
incorrupta Fides, nudaque Veritas
quando ullum inueniet parem?

eiusdem Quintilii iudicium de carminibus sobrium et seuerum Horatius (in artis poeticae 438 et sequentibus) luculenter praedicauit. en habete uersus Horatianos:

Digitized by Google

si carmina condes,
numquam te fallant animi sub uolpe latentes.
Quintilio si quid recitares, 'corrige sodes
hoc' aiebat 'et hoc'. melius te posse negares
bis terque expertum frustra, delere iubebat
et male tornatos incudi reddere uersus.
si defendere delictum quam uertere malles,
nullum ultra uerbum aut operam insumebat inanem,
quin sine riuali teque et tua solus amares.

num ad eundem uirum Horatius carmen libri primi XVIII, quod ad Varum quendam scriptum est, miserit incertum neque probabile est. ad locum artis poeticae commentator Cruquii haec habet : *hic erat Quintilius Varus, poeta Cremonensis, patronus et amicus Vergilii,* Porphyrion haec adnotauit : *hic erat Quintilius Varus Cremonensis, amicus Vergilii, eques Romanus* (cf. praeterea Estrei prosopogr. Horat. p. 201). haec, quae ex solis Horatii uersibus a scholiastis cognosci non potuerunt, cum eis quae Hieronymus ex Suetonio enotauit tam bene conspirant ut nec de eorum ueritate in uniuersum nec singillatim de fide cognominis Vari a scholiastis traditi (praesertim cum id cognomen in gente Quintilia frequentissimum fuerit) dubitari possit. de temporibus quibus Quintilius Varus uixit haec statui posse uidentur. Quintilium anno 730/24 mortuum esse ex Hieronymo scimus : sed qua uitae aetate mortuus sit ignotum est. tamen non sine probabilitate conligere posse mihi uideor Quintilium et Vergilio et Horatio aliquanto natu maiorem fuisse. cum primum Horatius in carmine illo quod ad Vergilium de morte Quintilii scripsit ne uno quidem

Digitized by Google

uerbo Quintilium morte praematura e uita ereptum esse significet, equidem quo studiosius poetae mortis praematurae atrocitatem enarrare solent, eo confidentius Quintilium seniorem et Vergilio Horatioque (quorum ille anno Quintilii ultimo annum aetatis quadragesimum sextum hic annum unum et quadragesimum agebat) natu maiorem mortuum esse contenderim. quae sententia loco illo ex epistula ad Pisones desumpto magno opere firmatur, ubi Horatius memoria temporis eius quo ipse et Vergilius carmina sua Quintilio iudicanda recitarent iucundissimi renouata illum exemplar iudicis in carminibus diiudicandis seueri et iusti quidem sed integri et beniuoli proposuit. quo ex loco manifestum est Quintilium Vergilio et Horatio natu non fuisse minorem. nam quis arbitretur par illud poetarum homini aetate minori carmina sua recensenda tradidisse? contra ex illo quoque loco probabile fit Varum aliquanto maiorem natu quam Vergilium et Horatium fuisse.

Haec omnia in Varum a Catullo commemoratum apte quadrant. cuius de aetate etsi nihil adcurati cognoscere possumus, tamen ex eis quae Catullus in carmine x narrauit concludere licet Varum anno 698/56, quo Catullus carmen illud scripsit (cf. supra p. 174), iuuenem et Catullo tum fere tricenario aequalem fuisse. itaque Quintilius Varus, cum eum Catullo aetate antecessisse credere nihil cogat, haud scio an inter Catullum et Vergilium circa annum 675/79 Cremonae natus sit. quae si uera sunt, Varus Catullo octo fere annis natu minor, contra Vergilio nouem fere et Horatio quattuordecim annis natu maior fuit. praeter

Digitized by Google

temporum rationes de duobus Varis illis, altero Vergilii Horatiique amico altero Catulli familiari, pulcre concinentes accedunt alia quaedam quae duos illos Varos pro uno et eodem homine habendos esse probabile reddunt. etenim Varus Vergilianus studiis litterarum operam dedit et carminum iudex optimus fuit: nonne eisdem rebus Catullianum quoque Varum uacasse ex carmine XXII aperte liquet? deinde communio patriae quae Catullo Varo Vergilio fuit digna est cuius in hac re rationem habeamus. — de Suffeno poeta malo, de quo carmen XXII Catullus ad Varum misit, nihil amplius memoriae traditum esse iam supra p. 258 diximus. de tempore carminis XXII nihil definiri potest.

Cum eis quae de Varo Cremonensi disseruimus pauca coniungere lubet quae de eius populari quodam eodemque poeta dicere habemus. in carmine enim XXXV *Poetae tenero meo sodali* Caecilium Nouicomensem poetam illo tempore in carmine de Cybele scribendo occupatum inuitat ut Como et Lario lacu relictis Veronam celeriter ueniat, quamuis puella, cuius amorem ille parte carminis de Cybele illius recitata sibi conciliauerit, precibus blanditiisque ei ne festinet insistat. cur Caecilium inuitauerit Catullus in uersibus quinto et sexto dicit:

nam quasdam uolo cogitationes
amici accipiat sui meique.

haec interpretes omnes de amici Caecilio et Catullo communis nescio cuius consiliis uel sententiis intellexerunt. quam interpretationem ueram esse credere non possum. equidem Catullum putauerim ad sua ipsius carmina ali-

Digitized by Google

quot (hae sunt *cogitationes* illae) audienda Caecilium inuitasse et uerbis illis *amici sui meique* solum se ipsum ita significasse ut uerbis *amici sui* se Caecilii amicum, contra uerbis *amici mei* talem se iocose nominaret qui sibi ipsi esset amicissimus. ceterum carmen hoc Veronae scriptum esse per se intellegitur. tempus quo carmen xxxv conpositum est etsi adcurate definiri nequit, tamen terminum temporis eum ante quem Catullus id scribere non potuit coniectura adsequi possumus. cum enim Caecilii urbem patriam Catullus nomine Noui Comi designarit, non ante annum 695/59 Catullus illa scribere potuit. Comum enim urbs illo demum anno, quo Caesar e lege Vatinii quinque milia colonorum illuc deduxit, nomen Noui Comi asciuit (cf. Strabonis v p. 213 Mommseni hist. Rom. III 307).

Denique tertium amicum doctum cui eadem quae Catullo patria fuit producere placet. is Cornelius Nepos est, Padi adcola (ut Plinius hist. nat. III 18 22 dixit), cui Catullus librum suum dedicauit. cf. Ausonii praef. ad Pacatum p. 332 Bip.

'cui dono lepidum nouum libellum?'
Veronensis ait poeta quondam
inuentoque dedit statim Nepoti.

cur Nepoti librum inscribere uoluerit Catullus in carmine primo his uerbis elocutus est:

Corneli, tibi: namque tu solebas
meas esse aliquid putare nugas
iam tum cum ausus es unus Italorum
omne aeuum tribus explicare chartis
doctis, Iuppiter, et laboriosis.

Digitized by Google

his uersibus Catullum Nepotis libros tres chronicorum significasse hodie inter omnes constat (u. Turnebi aduersar. XIII 14 Scaliger ad h. l.). quos libros quando Nepos ediderit incertum est. hoc tamen unum ex uersu quinto *iam tum cum ausus es unus Italorum* conligere possumus Nepotem aliquanto antea quam primum illud carmen scripsit Catullus chronica edidisse, in quibus, ut ex uersibus tertio et duobus sequentibus conligimus, poetae popularis sui mentionem honorificentissimam publice fecerat. cum autem credi non possit Catullum ad modum adulescentulum nec dum annos uiginti natum a Nepote in chronicis laudatum esse, nos non multum falli posse arbitramur, si (quia anno 700/54, quo Catullus annum trigesimum tertium egit, carmen I scriptum est) intra annos 687/67 et 690/64 Nepotem chronica edidisse statuimus. cui sententiae aetas Cornelii Nepotis, qui ab anno fere 650/104 usque ad annum 725/29 uixit, minime obstat. ceterum quanti Nepos Catullum fecerit hodie quoque ex loco quodam uitae Attici (12 4) ab illo diu post mortem Catulli conscriptae cognoscere possumus. *idem,* inquit Nepos, *L. Iulium Calidium, quem post Lucretii et Catulli mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem uere uideor posse contendere, . . expediuit.* ex discrimine aetatis Nepotis et Catulli (ille hunc septendecim minimum annis superauit) concludimus Catullum cum Nepote non tam amicitiae familiaris uinculo coniunctum fuisse quam eum fautorem et patronum coluisse. quae cum ita sint, sententia eorum qui carmen CII *Si quicquam tacito commissum est fido ab amico,* quod ad Cornelium quen-

Digitized by Google

dam scriptum est, ad Nepotem missum esse censent inprobanda est. cum enim in illo carmine Catullus se occulta quaedam quae sibi credere ille dubitauerit, quasi ipse deus silentii sit, fideliter retenturum esse Cornelio adfirmet, de Nepote nullo modo potest cogitari.

Modo diximus carmen I anno 700/54 scriptum esse. breui enim ante quam librum suum edidit Catullum carmen illud fecisse ex rei ipsius natura manifestum est. sed quo anno Catullus librum edidit? anno 700/54, ut Mommsenus (hist. Rom. III 313) rectissime uidit. nam in libro Catulli neque ulla res commemoratur post mensem Sextilem anni 700/54 facta et permultarum rerum quae ipso anno 700/54 et annis proxime antecedentibus acciderunt mentio iniecta est. itaque statuere licet Catullum anno 700/54 fere medio breui ante quam mortuus sit librum suum in lucem emisisse (cf. supra p. 44). eodem fere tempore quo carmen I Catullus scripsit aliud scriptum sit necesse est carmen quod nuper ex laceris duobus fragmentis uiri docti duo, quorum alter alterius sententiae inscius erat, conexuerunt. Carolus enim Pleitnerus (de Catulli epithalamiis. Dillingae 1858 p. 90) et Reinholdus Klotzius (emendation. Catullian. Lips. 1859 p. XIIII), quorum sententiam etiam a uiro docto quodam in Zarnckii nuntiis litterariis 1860 p. 713 adprobatam Iosephus Pohlius (lection. Catull. Euskirchenae 1860 p. 21) frustra inpugnauit, intellexerunt uersus carminis II 11—13 et carminis XIIII 24—26, qui cum uersibus proxime antecedentibus nullo modo cohaerent, in unum ita coniungendos esse carmen :

Digitized by Google

XIIII 24 *Si qui forte mearum ineptiarum*
lectores eritis manusque uestras
non horrebitis admouere nobis,
II 11 *tam gratum est mihi quam ferunt puellae*
pernici aureolum fuisse malum,
quod zonam soluit diu ligatam.

quod carmen nullo intermisso post carmen primum quo lectorum beniuolentiam captaret Catullum posuisse eidem uiri docti illi recte dixerunt. qui autem factum sit ut carmen hoc uere secundum a sede propria motum et in duo frustula diuulsum sit alio loco explicare conabimur.

Post Quintilium Varum Caecilium Cornelium Nepotem, tres doctos amicos qui eandem atque Catullus patriam habuerunt, de Cornificio disputare placet, qui fortasse et ipse popularis poetae Veronensis fuit. scripsit ad eum Catullus carmen XXXVIII *Malest, Cornifici, tuo Catullo,* in quo poeta cum amico de sui neglectione expostulat, ut pote qui corporis animique dolores ex morbo ultimo quotidie aucto natos amice consolando lenire noluerit (cf. supra p. 45). quae explicatio si uera est, carmen hoc anno 700/54 medio scriptum est. Cornificium illum, quisquis fuit, a studiis poeticis alienum non fuisse uersus ultimi carminis, ubi artificiosiore locutione 'lacrimarum Simonidearum' poetae Cei carmina lugubria designantur, uidentur declarare. eum praeterea eiusdem fere aetatis atque poetam Veronensem fuisse tota carminis ratio docet. quae utraque res apte quadrat in Cornificium poetam ab Ouidio tristium II 436 inter alios Catullo fere aequales carminum amatoriorum

Digitized by Google

poetas nominatum. Ouidius enim illud *et Romanus habet multa iocosa liber* exemplis demonstraturus, postea quam praeter alios Catullum Caluum Ticidam Memmium nominauit, his pergit : *Cinna quoque his comes est Cinnaque procacior Anser et leue Cornifici parque Catonis opus.* Cornificii hendecasyllabum Macrobius (Saturnal. vi 4) seruauit, idem (vi 5) hexametros duos ex carmine cui Glauco nomen fuit, quod nescio an cum Catulli epithalamio quod uocant Pelei et Thetidis an cum Cinnae Zmyrna an cum Io Calui quodam modo sit conparandum. praeterea Cornificius idem inter Vergilii obtrectatores numeratur : eum ideo a Vergilio conpluribus nominibus fictis notatum esse interpretes ueteres certatim adfirmant. de morte Cornificii haec Hieronymus ad annum 713/41 ascripsit : *Cornificius poeta a militibus desertus interiit, quos saepe fugientes 'galeatos lepores' adpellarat. huius soror Cornificia, cuius insignia extant epigrammata.* Merkelius (ad Ouidii Ibin p. 365) non sine specie probabilitatis Cornificii necem bello Perusino factam esse coniecit. neque recte Ioannes Beckerus (in Bergkii et Caesaris diariis a. 1847 p. 1065) de ueritate anni ultimi ab Hieronymo indicati dubitauit. qui cum Cornificium apud Cledonium (artis p. 1898 *Cornificius Gallus inde reprehendit Vergilium 'ordea qui dixit superest ut tritica dicat'*) ad georgicon i 210, quae inde ab annis 717/37 et 718/36 conponi coepta sunt, respexisse putet, diutius quam Hieronymus indicet Cornificium uixisse contendit : sed, ut C. F. Hermannus (ad Hieronymum p. 17) scite adnotauit, 'hordeorum' uocabulo iam in ecloga quinta (36) anno 712/42 scripta Vergilius usus est.

Digitized by Google

itaque hic locus Hieronymi conputationi non refragatur, cum praesertim uersus illius auctor iam ueteribus interpretibus non adcurate notus fuerit. Seruius enim (ad georg. l. c.) dubitat utrum Maeuius eum an Bauius fecerit. illi Cornificio si recte ex Cledonii loco Beckerus cognomen Galli uindicauit eumque a Cornificio quodam Longo, qui de etymis deorum scripsit, merito separauit (quod utrumque ego non dubito), Galli illud nomen ad originem Gallicam spectare ueri dissimile non est (cf. etiam Merkelius ad Ibin p. 365). plura de Cornificio Merkelius ad Ouidii fast. p. LXXXXVIII Bergkius in indice scholarum aestiuarum Marburgensium a. 1843 Vngerus de Valgio p. 392 Bernhardius in litter. histor. p. 463 praebebunt.

G. Asinium Polionem, uirum et belli et pacis artibus inlustrissimum, Catullus in carmine XII *Marrucine Asini*, *manu sinistra* laudat, contra fratrem eius, quia lintea Saetaba poetae a Fabullo et Veranio ex Hispania dono missa 'in ioco atque uino' clam surripuerit, acerbe uituperat atque ut illa quam celerrime remittat expostulat. De G. Polione haec Catullus :

crede Polioni
fratri, qui tua furta uel talento
mutari uelit : est enim leporum
disertus puer ac facetiarum.

quo tempore carmen XII Catullus scripserit adcurate declarare non possumus. tamen in uniuersum, si eis quae supra disseruimus fidem habere licet, haec possunt hac de re adnotari. Verannium et Fabullum amicos Catulli

Digitized by Google

non post annum 694/60 ex Hispania rediisse supra (p. 243) coniecimus. itaque cum carmen xii tempore quo amicorum par etiam tum in Hispania erat scriptum esse ualde ueri simile sit, carmen xii ipsum quoque non post annum 694/60 scribi potuit. fac igitur hoc ipso anno Catullum carmen xii fecisse, omnia bene concordant. namque cum G. Asinius Pollio anno 678/76 natus esset (cf. Taciti dial. de orat. 34 C. F. Hermannus ad Hieronym. p. 27), anno 694/60 annum decimum sextum aetatis egit meritoque a Catullo undecim annis maiore natu 'puer' adpellari potuit. ceterum praetereundum non est eundem 'leporum disertum puerum et facetiarum' Asinium Polionem postea, cum adoleuisset, ut in Ciceronem Sallustium Liuium alios ita etiam in Catullum quaedam scripsisse quibus carmina eius reprehenderet : id quod ex Charisii loco, quo Catullus propter genus neutrum uerbi *pugillaria* (xxxxii 5) a Polione uituperatus esse narretur, conligendum esse Hauptius et Osannus dispexerunt (u. supra p. 24. 25). fratrem Polionis furacem Catullus non sine acumine quodam ita adlocutus est ut nomini eius patriae nomen adderet (*Marrucine Asini*). Asinii enim ex Marrucinis, gente Marsis genere propinqua, quorum caput Teate prope Aternum fluuium erat situm, oriundi fuerunt (cf. Silii Punic. xvii 453 Liuii epitom. lxxiii Drumanni h. R. ii 1). illud acumen quale sit Isaacus Vossius optime docuit Scaligeri opinione falsa refutata. qui cum duobus locis altero Tertulliani (aduersus Marcionem v 17 p. 326 Oehl.) altero Paulini (epist. 7 p. 102 Rosw.) male explicatis Marrucinorum nomen conuitium stupidorum fuisse contendisset, Vossius contra

Digitized by Google

Marrucinos fide potius et probitate conspicuos eamque ob rem apud Romanos in magno fuisse honore demonstrauit. quod ut probaret praeter locum illum Tertulliani *sic, uti alibi dixi, et hic, non Marrucine sed Pontice, cuius supra sanguinem confessus es, hic negas carnem,* in quo Marrucinorum fidem perfidiae Ponticorum siue Cappadocum oppositam esse recte dixit, Vossius duos Silii locos Punicorum xv 566 *qua duri bello gens Marrucina fidemque exuere indocilis sociis Frentanus in armis* et VIII 519 *Marrucina simul Frentanis aemula pubes* attulit. Paulini autem loci nullus in hac re usus est. ita igitur Catullus Asinium inrisit ut hominem rapacem, etsi Marrucinus esset, nihil tamen Marrucini habere diceret.

Disputatio nostra ad Sestium progreditur, quem poeta in carmine XXXXIIII commemorauit. quod carmen non ita facile potest explicari, etsi ei Lachmannus (ad Lucretium p. 290) emendatione uersuum duodecimi atque unius et uigesimi certissima a Bergkio quoque facta *) multum lucis attulit. atque ego quidem ita fere rationem carminis totius explicandam esse censeo. Sestii cuiusdam, mali quidem scriptoris sed sui admiratoris, arrogantiae gratificaturus ut in illius familiaritatem et, ut ita dicam, in cenas illius lautissimas se insinuaret Catul-

*) uide adnotationem Rossbachii, qui quamquam propter neglegentiam commentarii ad Lucretium Lachmanniani iam anno 1855 a Leutschio in nuntiis eruditorum Gotting. p. 1989 merito reprehensus est, tamen ne in altera quidem Catulli sua editione libro illo uti uoluit.

Digitized by Google

lus, cum orationem 'plenam ueneni et pestilentiae', quam in Antium petitorem nescio quem et qualem ille scripserat, legere non recusasset, huius orationis frigore tussim et grauedinem tam uehementem nactus est ut ad haec mala curanda in uillam Tiburtinam ei confugiendum esset. ibi mox ualetudine bona reciperata Catullus uillae suae gratias in carmine xxxxIIII maximas egit quod peccatum facile sibi ignouisset, et scripta frigidissima si a Sestio transmissa iterum legenda accepisset, se negauit intercessurum quo minus ipsum Sestium, qui nisi antea libellorum suorum pessimorum lectione cruciatos non inuitaret, poena tussis et grauedinis merita adficerent. de uilla Catulli Tiburtina iam supra p. 51 pauca diximus. de tempore quo Catullus carmen xxxxIIII scripserit nihil definiri potest. sed quis Sestius ille? hunc fuisse eundem pro quo Cicero Sestianam habuit iam Achilles Statius uidit. huius aetatem si spectamus, is anno 691/63, quo Catullus annum uigesimum quartum agebat, a Cicerone (in Catil. I 8 21) 'adulescens' quidem nominatus est, sed cum ipso illo anno quaestor esset, non minus tum quam annos uiginti septem habere potuit, deinde cum anno 698/56 eius filia, quam ex priore sua uxore G. Albini filia susceperat, iam uiro nupta esset (p. Sest. 3 6), Catullo non ita paucis annis aetate antecesserit Sestius necesse est: quae res Statii sententiam adiuuat, nam Sestium eum cuius in carmine xxxxIIII mentio fit aliquanto Catullo natu maiorem fuisse tota carminis ratio postulare uidetur. neque Catullum de scriptis frigidis Sestii iusto iniquius iudicasse aliquot loci Ciceronis haud obscure docent. Tullius enim anno 703/51 ex

Digitized by Google

Cilicia P. Volumnii litteris respondens (ad fam. VII 32 1) *tuis in litteris* inquit *omnia mihi periucunda fuerunt praeter illud quod parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur. ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana, in me conferri. quid? tu id pateris? non me defendis? non resistis?* unde plene intellegitur quanto opere Cicero quod sibi sint Sestiani sales inuenusti inurbanique attributi grauatus sit. praeterea, ut Ernestius recte adnotauit, Sestium facetum uideri uoluisse ex epistula v 6, in qua Tullius cum eo iocatur, conligi potest. multo contra dilucidius quam in epistula ad Voluminium data illa contemptum ingenii Sestii suum Cicero his expressit (ad Atticum VII 17 2) uerbis quae subscripsi. *scire iam te oportet L. Caesar quae responsa referat a Pompeio, quas ab eodem ad Caesarem ferat litteras. scriptae enim et datae ita sunt ut proponerentur in publico: in quo accusaui mecum ipse Pompeium, qui cum scriptor luculentus esset, tantas res, atque eas quae in omnium manus uenturae essent, Sestio nostro scribendas dederit. itaque nihil umquam legi scriptum σηστιωδέστερον.* ideo iure optimo Catullus Sestii malum librum despexit. accedit ut Sestius animo litigioso et insolenti fuerit, unde facile cognoscitur cur 'plenam ueneni et pestilentiae' in Antium scripserit orationem. cf. Ciceronis uerba haec ad Q. fratrem II 4 1: *illud, quod tibi curae saepe esse intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus uituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret, nisi illius* (Sestii) *peruersitatem quibusdam in rebus quam humanissime ferremus* (cf. etiam ad Q. fr. II 3 5), *scito hoc nos in eo iudicio consecutos*

Digitized by Google

esse ut omnium gratissimi iudicaremur. nam defendendo moroso homini cumulatissime satis fecimus. uehemens Sestii ingenium in eis elucet quae Cicero ad Atticum IIII 3 3 narrauit. *exin senatus* (de comitiis P. Clodii aediliciis) *postridie idus : domi Clodius : egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit adiuuante Appio, etiam hercule familiari tuo, de cuius constantia et uirtute uerissimae litterae. Sestius furere.* neque minus idem in re quadam a Plutarcho (Cicer. 26 p. 797 Rsk.) narrata conspicuum est : *Ποπλίου δὲ Σηστίου συνήγορον μὲν αὐτὸν ἔν τινι δίκῃ παραλαβόντος μεθ' ἑτέρων, αὐτοῦ δὲ πάντα βουλομένου λέγειν καὶ μηδενὶ παριέντος εἰπεῖν, ὡς δῆλος ἦν ἀφιέμενος, ὑπὸ τῶν δικαστῶν ἤδη τῆς ψήφου φερομένης 'χρῶ σήμερον' ἔφη 'τῷ καιρῷ, Σήστιε, μέλλεις γὰρ αὔριον ἰδιώτης εἶναι'.*

Antius petitor ille, in quem Sestius furorem suum effudit, quis fuerit nescitur. eodem tempore quo Sestius Antius quidam uixit, cuius mentionem Cicero ad Atticum IIII 16 6 7 fecit. praeterea, si non idem est atque Ciceronianus hic, tum is Antius fuit qui annis non nullis post legem Aemiliam anno 676/78 latam nouam legem sumptuariam tulit (cf. Macrob. Sat. II 13 Gellii noct. Att. II 24 13), quem pro G. Antio G. f. Restione habere licet, cuius nomen in nummis intra 705/49 et 709/45 incusis reperitur (cf. Mommseni hist. rei nummar. Rom. p. 653).

Ad Catonem quendam Catullus carmen LVI *O rem ridiculam, Cato, et iocosam* misit. sed ad quem Catonem? Achilles Statius de Valerio Catone grammatico cogitauit

Digitized by Google

neque aliter Scaliger fecit. at Naekius ad Valerium Catonem p. 254 *Catulli locus* inquit *quo iure ad nostrum Catonem referatur ambiguum est* et p. 270 *Catullus* LVI *quem intellegat Catonem prorsus incerta res est.* cui eatenus adsentior ut demonstrari non posse concedam ad Valerium Catonem grammaticum potissimum, non ad alium quendam e familia Catonum oriundum carmen LVI scriptum esse : neque tamen nihil obstare quo minus ad grammaticum referatur negauerim, contra non nulla adesse puto quibus sententia Statii et Scaligeri commendatur. quae argumenta adcuratius congerere ac disponere a re alienum non erit. si primum utriusque poetae Catonis Catullique aetatem conparamus, Cato Catullo, si fidem Naekio habueris, uno et uiginti annis natu maior fuit : qua re equidem uix inpedirer quin carmen LVI ad Catonem grammaticum Catullum misisse putarem, dum modo, id quod putare liceret, Catullus non adulescentulus sed annis uitae ultimis illud scripsisse putaretur. uerum Naekii definitio illa aetatis Catonis grammatici minime certa est : quamquam recta esse potest, tamen recta sit non est necesse, id quod paucis demonstrabimus. in inlustranda Catonis grammatici aetate nec diris nec Lydia carminibus hodie quoque superstitibus uti licet, quoniam illa Catoni illi falso ascribuntur (cf. Merkelius ad Ibin p. 364 Hauptius in obseruationibus criticis p. 47 Lachmannus ad Lucretium p. 246 Bernhardius in litt. Rom. hist. p. 500) neque uersibus octo illis subditiciis decimae primi libri saturae Horatii antepositis fides haberi potest. Valerium Catonem, cum pupillus parentibus mortuis relictus esset, licentia Sullani temporis

Digitized by Google

exutum esse patrimonio ex Suetonio (de grammaticis 11) scimus. praeterea idem Suetonius (de grammaticis 2) Valerium Catonem apud Vectium Philocomum Lucilii saturas legisse narrauit. denique in epigrammate quod Suetonius loco quem priorem citauimus excripsit Furius Bibaculus Catonem grammaticum ualde senem se uidisse testatus est. quid inde conligi potest? primum illud Furianum consideremus. Valerium Catonem tribus cauliculis et selibra farris et racemis duobus sub uda tegula ad summam prope senectutem uitam sibi sustentasse Furius Bibaculus dixit, cuius epigramma ut Catonem ualde senem mortuum esse demonstraret Suetonius attulit. quaeritur igitur quando Bibaculus illa scripserit. quod cum ignoretur, in uniuersum interrogare lubet quam diu Furius uixerit. Furium etiam tum in uiuis fuisse constat, cum Orbilius Pupillus propter senectutem nimiam memoriam iam amiserat. quod quo fere tempore factum sit inde conligere possumus quod Orbilius anno 691/63 Cicerone consule quinquagesimum aetatis annum agens Romam uenisse ibique prope ad centesimum annum amissa iam pridem memoria uixisse traditur. itaque Orbilium usque ad annum fere 736/18 uixisse, memoriam autem iam decennio prius 726/28 amisisse sumere licebit. quodsi probabiles subduximus numeros, Bibaculus ante annum 726/28 uersum illum *Orbilius ubinam est litterarum obliuio* scribere non potuit (u. Sueton. de gramm. 9). fac circa eundem annum Bibaculum epigrammata de Catone sene septuagenario (ita sumere lubet) scripsisse, Cato anno fere 656/98 natus est. quae ratio neque si calamitates Sul-

Digitized by Google

lanas annorum 671/83—675/79 consideramus, neque si Catonem pupillum acerbitate temporum Sullanorum patrimonium amisisse audimus (Naekii enim p. 260 explicatio loci Suetoniani contortior est quam ut probari possit), neque si Vectii Philocomi, quo magistro Cato usus est, tempora circumspicimus, euerti nec denique omnibus argumentis eis infringi potest quibus Naekius sententiae suae necessitatem conprobare studuit : quae adcuratius explicare et longum et a re nostra alienum est. itaque nihil obstat quo minus Catonem non uno et uiginti sed undecim fere tantum annis Catulli aetatem antecessisse contendamus, quae sententia eo quod Ouidius (tristium II 436) post Catullum Caluum Ticidam Memmium enumeratos cum Cinna Ansere Cornificio Catonis memoriam coniunxit non refellitur. quae cum ita sint, e temporum ratione nullum petitur argumentum cuius auxilio ad Catonem grammaticum Catullum carmen LVI scripsisse negari possit. contra nostrum de homine quem Catullus in carmine illo adlocutus est iudicium aliis quoque nisi fallimur rationibus munitur et defenditur. modo locum Ouidianum commemorauimus quo poetae carminum amatoriorum et lasciuorum Latini enumerantur et iam supra p. 299 de Cornificio disputantes uersus duos eos excripsimus in quibus Naso etiam de Catone iudicauit. uix opus est memoriam uersuum illorum recolere :

quid referam Ticidae, quid Memmi carmen, apud quos
rebus adest nomen nominibusque pudor,
Cinna quoque his comes est Cinnaque procacior Anser
et leue Cornifici parque Catonis opus.

Digitized by Google

hoc ex loco Catonem cognoscimus carminibus amatoriis eisque a grauitate ualde abhorrentibus ('leuia' adpellantur) operam dedisse, ita ut is seueriore supercilio accepisse illud Catulli carmen non sit putandus : cuius obscaenitas etsi nobis fastidium taediumque maximum mouet, tamen obliuisci non debemus quantum nostri mores distent ab moribus corruptissimis et inquinatissimis illorum temporum, quibus puerorum delicatorum corporibus frui res erat maxime uulgaris et a uiris amplissimis tantum non palam ante omnium oculos exercita. itaque aequales plurimi Catulli non tam turpitudinem illius carminis auersati sunt quam rem iocosam 'quae quod pruriret incitare posset' riserunt. quod ut item faceret Catonem Catullus hortatus est :

O rem ridiculam, Cato, et iocosam
dignamque auribus et tuo cachinno.
ride, quicquid amas, Cato, Catullum :
res est ridicula et nimis iocosa.

quod commercium familiare inter Catonem et Catullum intercessisse coniecimus magis quam demonstrauimus, re uera fuisse maxime probabile uidebitur, haec si considerata erunt. poetae Latini qui decenniis saeculi ab urbe condita septimi ultimis floruerunt, si non omnes uel plurimi, tamen multi et communione studiorum poeticorum quadam et uinculo amicitiae ac familiaritatis coniuncti fuerunt. quod praecipue in poetas illos quos Ouidius loco tristium cuius usum iam saepius fecimus enumerauit siue cadit siue cadere uidetur, in primis in Catullum Caluum Ticidam Memmium Cinnam Anserem

Cornificium Hortensium Laeuium: huius enim poetae nomen non dubito quin Heinsius ex librorum *Serui* felicissime elicuerit: cf. Gellii noct. Attic. xviii 9 7 et de aetate et carminibus Laeuii Weicherti rel. poet. Lat. p. 32 et Luciani Muelleri de re metr. p. 75. ex eis quae ipsi supra disseruimus Catullum cum Caluo et Cinna et Cornificio et Hortensio, qui omnes in eisdem fere carminum generibus elaborarunt, familiaritatem re uera contraxisse perspectum est. item usque ad tempus quo in Bithyniam profectus est Catullus Memmium fautoris atque patroni loco habuit (cf. supra p. 163. 165). quis igitur mirabitur si Catullus familiaris fuit et carmen aliquod misit Catoni quoque: quocum quanta amicitia Cinna, poeta Catullo amicissimus, coniunctus fuerit ipsius Cinnae (apud Suetonium de gramm. 11) de Catonis carmine cui Dianae uel Dictynnae nomen fuit uersus testatur hic *Saecula permaneat nostri Dictynna Catonis*, quod carmen mythologico argumento doctum fuisse Naekius (p. 272) recte censuit. simile Ticidae, quem et ipsum Ouidius in uersibus illis nominauit, de Lydia Catonis iudicium est: *Lydia doctorum maxima cura liber.* praeterea apud Suetonium duo Furii Bibaculi, Catoni fere aequalis, epigrammata extant in quibus Cato laudibus summis praedicatur: ironiae enim et ambiguitatis aculeatae, quas Weichertus (rel. poet. Lat. p. 357) deprehendere sibi uisus est, nihil in eis inest (cf. Naekium ad Catonem p. 269). denique in primis digna sunt quae adcuratius perpendantur haec uerba Suetonii (de grammat. 11): *docuit Cato multos et nobiles uisusque est peri-*

Digitized by Google

doneus praeceptor ad poeticam petentibus, *ut quidem adparere uel his uersiculis potest :*

Cato grammaticus, Latina Siren,
qui solus legit ac facit poetas,

hoc est, ut alio Suetonii (de grammat. 2) loco usus hos uersus enarrem, Cato carmina parum adhuc uel defunctorum amicorum uel si quorum aliorum probabat diligentius retractauit ac legendo commentandoque etiam nota fecit. itaque fuit Cato altera quasi *tenellorum nutricula uatum*, ut Domitius Marsus Q. Caecilium Epirotam grammaticum nominauit (cf. Sueton. gramm. 16). illius igitur conlegii poetarum, si hoc publico nomine (cf. O. Iahnius in act. soc. litt. Sax. VIII 293) poetas illos studiorum communione saepius inter parietes priuatos coniunctos nominare fas est, magister Cato extitit et primum eos et exemplo et doctrina quadam familiari uariis in eis artibus erudiuit quarum cognitio poetam decet. deinde carmina quae ex illo poetarum conlegio prodierunt publice commendabat et recitando diuulgabat. tali magistro illis potissimum poetis, quorum studia Merkelius ad Ibin p. 353 et quae secuntur Bernhardius in histor. litt. Rom. p. 240 O. Iahnius ad Ciceronis oratorem p. x M. Hauptius in indice lect. Berol. aestiu. a. 1855 p. 10 Luc. Muellerus de re metr. p. 89 explicauerunt, opus fuisse manifestum est. qui generibus rationibusque poesis Latinae antiquioris neglectis et sepositis nouam ingressi uiam (itaque '*οἱ νεώτεροι*' uel 'noui poetae' nominabantur : cf. Cic. ad Att. VII 2 1 orator. 48 161), cum recentiores in uniuersum poetas Graecos et in primis Alexandrinos imitandos

Digitized by Google

sibi sumerent, qua de caussa a Cicerone nomine 'cantorum Euphorionis' inrisi sunt et 'doctorum' nomine ab aliis significabantur (cf. disp. Tusc. III 19 45 et de diuinat. II 64 132 Merkelius ad Ibin p. 363), carere uix potuerunt magistro eo qui in intellegendis exemplaribus illis Graecis fabularum mythologicarum ignotarum et reconditarum adparatu nimio atque orationis insolentia ualde obscuratis se adiuuaret et in legibus uersuum subtilioribus cognoscendis et obseruandis promptum sibi praestaret auxilium. itaque et ex communione exemplarium et ex communione magistri et ex necessitudine amicitiaque qua poetae illi coniungebantur etiam similitudo originem duxit carminum quae eidem conposuerunt. ueluti certatim illi quos nominauimus de more Alexandrinorum epyllia fecerunt, Cato Dictynnam Catullus epithalamium quod uocant Pelei et Thetidis Caluus Io Cinna Zmyrnam Cornificius Glaucum : ita Catullus Caluus Ticida epithalamia et hymenaeos, ita alii alia inter se similia fecerunt. quae omnia si conprehenduntur et adcurate considerantur, tantum abest ut quicquam obstare negemus quo minus carmen LVI ad Valerium Catonem grammaticum missum contendamus, ut ipsam hanc sententiam quam maxime esse probabilem adseueremus. denique ad haec omnia accedit ut Cato Catulli fuerit popularis. Suetonius enim Galliam Catonis patriam nominauit. *Galliam autem*, ut Naekii uerbis p. 255 utar, *Suetonius dixit haud dubie Galliam Cisalpinam siue citeriorem antiqua loquendi consuetudine.*

XIIII

In capite quarto decimo quaecumque de personis Catullianis et de temporibus carminum Catullianorum dicenda restant conplectamur. sed quia paene omnia de quibus certi aliquid effici uel probabiliter disseri poterat iam supra tractauimus, nihil fere reliquum est de quo disputaturi sperare possumus fore ut eis qui legent satis faciamus. primum personarum aliquot quae in libro Catulliano commemorantur notitiam omnino nullam habemus, quod de aliis carminibus non ita dolendum, de aliis contra molestius est ferendum. quod ut exemplis confirmem, nec Flauium, de cuius reticentia parum amica poeta in carmine VI *Flaui, delicias tuas Catullo* queritur, nec Vibenniorum par nobile, quorum furta et flagitia in carmine XXXIII *O furum optime balneariorum* castigantur, nec Gallum libidinum nefariarum administrum, de quo carmen est LXXVIII *Gallus habet fratres, quorum est lepidissima coniunx,* neque Aemilium, cuius foeditas spurcissima in carmine LXXXXVII *Non (ita me di ament) quicquam referre putaui* describitur, cognouimus

Digitized by Google

qui fuerint neque de temporibus carminum quae modo enumerauimus quicquam certi dicere habemus. idem de Allio, quem Catullus in carmine LXVIII[b] amoris sui et Lesbiae adiutorem praedicauit, et de Nasone pathico fatendum est, quem Catullus in carmine CXII *Multus homo es, Naso, nec tecum multus homo est qui* adloquitur, et de Camerio, ad quem amicum diu ac frustra per urbem quaesitum Catullus carmen iocosum LV *Oramus si forte non molestum est* misit. nam sententias Palladii, qui Iulium Caesarem nomine Camerii a Catullo inrisum esse opinatus est, et Statii, qui lectioni falsae uersus 16 *audacter committe, crede, Luci* postea Scaligeri sagacitate correctae confisus ipse Lucium quendam Camerium creauit et cum Lucio in quem carmen V catalectorum Vergilianorum directum est temere coniunxit, nihili aestimandas esse quisque intellegit. ceterum non felicius, ut uidetur, nuper ex uersus noni corruptela Heysius *Auli* praenomen elicuit et Camerio indidit. contra si tempora spectamus, ex uersu sexto *in Magni simul ambulatione,* quibus uerbis porticus theatri a Pompeio iterum consule extructi magnifica (cf. p. 250 et 33) significatur, manifestum est ante aestatem anni 699/55 carmen LV Catullum scribere non potuisse. etiam carmen CVI *Cum puero bello praeconem qui uidet esse* hoc loco commemorandum, quod supra de amoribus Catulli disputantes omisimus. quod cum de puero quodam pulcro sit, in illa quam diximus disputatione data occasione aptius fortasse commemorari potuit. in obscurissimis carminibus libri Catulliani unum et septuagesimum numerandum est, quod quo modo emendandum sit (uersus pri-

Digitized by Google

mus enim et quartus in libris ualde corrupte scripti sunt) ad modum incertum est. ne longior sim, breuiter adnotabo primum uersum cum Palladio Auantio Hauptio Heysio aliis ita scribendum esse uideri : *Si cui iure bono sacer alarum obstitit hircus.* cui scripturae nec quae Iosephus Pohlius (in lectionum Catullianarum specimine p. 59) in eam dixit nec ipsius coniectura Pohlii officere possunt. qui cum similitudinem inter Rufum hircosum carminis LXVIIII et eum qui propter eandem 'nasorum pestem' in carmine LXXI perstringitur facile conspicuam post Parthenium Palladium Muretum animaduertisset simulque conpluribus Ciceronis et Caesaris locis L. quendam Vibullium Rufum commemorari meminisset, hunc a Catullo duobus his carminibus castigatum esse inconsulte et temere statuit uersum carminis LXXI primum ita legendum arbitratus : *Si quoi*, *Vibulli*, *sacer alarum obstitit hircus.* neque magis quae Pohlius praecepit de uersu quarto, quem Isaaco Vossio auctore ita scribi iussit *mirifice est ac tu nactus utrumque malum*, laudari possunt. equidem dubitare non possum quin Catullus eius cuius aemulum cuiusque amorem in uersu tertio commemorauit nomen etiam ipsum in carmine elocutus sit. itaque si non emendatio, ratio tamen emendandi Heysii mihi placet in corruptela uersus quarti nomen proprium latere censentis. similis eaque duplex dubitatio de eo existit in quem Catullus carmen LXXXXVIII *In te*, *si in quemquam dici pote*, *putide Victi* scripsit. primum enim incertum est qua ratione nomen eius sit scribendum, incertum deinde quis ille fuerit. libri boni habent *Victi*, unde editores priores quidam *Vecti* uel

Digitized by Google

Vetti, Hauptius in altera sua editione *Vitti* fecit. Scaliger Lipsius (uariar. lection. III 5) Torrentius (ad Suetonii Caes. 17) Vossius (ad Catullum p. 328) L. illum Vettium, indicem famosissimum ex Ciceronis Sestiana et Vatiniana et epistulis satis notum (u. Paulii encyclop. VI 2530), a Catullo significatum esse censuerunt : quae opinio, cum nihil adsit quo adprobetur neque quo refellatur, quid nos iuuat? namque ne illud quidem uerum est quod sententiam illam defensuri uiri docti dixerunt (quod etiam si uerum esset, tamen neminem fugere posset quam leue esset) Vettium propter linguam falsam et uenalem siue propter facundiam perniciosam hoc carmine a Catullo carptum esse. contra ei recte explicarunt qui, uti Parthenius Palladius Muretus Doeringius Handius (in obseruationibus p. 47) Heysius alii, insulsam hominis loquacitatem a Catullo notatam putauerunt. — Item ignoramus quis Septimius fuerit, cuius et Acmes amorem Catullus carmine illo suauissimo XXXXV *Acmen Septimius suos amores* celebrauit. Acme liberta natione Graeca fuisse uidetur. ceterum carmen, si de tempore quaeritur, ex uersu uigesimo altero

unam Septimius misellus Acmen
mauult quam Syrias Britanniasque

haud scio an conligi possit anno 699/55 uel sequenti scriptum esse : illo enim anno et Caesar in Britannia bellare coepit et Crassus in Syriam profectus est. iam ad carminis XXVII uersum tertium inlustrandum conuertere nos placet, quo Catullus Postumiae, 'magistrae ebriosa acina ebriosioris', mentionem fecit. en totum habes carmen breue :

Digitized by Google

Minister ueteli puer Falerni,
inger mi calices amariores,
ut lex Postumiae iubet magistrae
ebriosa acina ebriosioris.
at uos quo lubet hinc abite, lymphae,
uini pernicies, et ad seueros
migrate : hic merus est Thyonianus.

poeta igitur pincernam adhortatur ut legi quam Postumia, mulier ebriosa, bibendi magisterium sortita pronuntiare solebat oboediens uinum meracius (hoc enim *calices amariores* significant) sibi infundat. quis illa Postumia fuerit incertum est, nisi forte probabile esse uidetur a Catullo hoc uersu Postumiae Seruii Sulpicii Rufi consulis anni 703/51 uxoris indecentiam castigatam esse. quam mulierem etsi non adcurate memoriae traditum est ebriositate infamem fuisse, tamen, cum adulterium cum Caesare fecerit idemque flagitium cum G. Pontinio praetore anno 691/63 commisisse uideatur (cf. Orellii onomast. Tull. p. 493), adeo a matronae dignitate desciuisse uidemus ut eam cum uiris alienis conuiuia egisse, quod Clodiam fecisse Cicero testatur, et cum eis bibendo certasse et leges bibendi ipsam edixisse non ita ueri dissimile sit. at haec omnia et uagae sunt coniecturae neque quicquam de tempore quo carmen Catullus scripserit dici potest.

Disputatio nostra ad carmen CVIII *Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus* (ita enim uersus primus legendus est) progreditur. nomen *Comini* ex librorum corruptela *Sic homini* recte restitutum esse nemo hodie

Digitized by Google

negat. ut hoc unum addam, simillimo mendo idem nomen apud Asconium in Cic. Cornel. p. 62, 2, ubi prius pro *Cominii*, quod Orellius inuenit, ex libris *hominis* legebatur, obscuratum erat. quis Cominius ille fuerit adcurate demonstrari non potest. tamen Iustus Lipsius (uariarum lectionum III 5) hanc sententiam proposuit: *scriptum mihi a Catullo uidetur in Cominium, rabulam quendam de foro et odiosum accusatorem, cuius et Cicero et Asconius oratione pro Cornelio meminerunt et pro Cluentio Auito.* quae coniectura postea a Vossio Vulpio aliis probata temere reici non potest. immo, si res Cominii adcuratius considerantur, satis speciosa uidetur esse.

Catulli aetate duo fratres Publius et Gaius (ita Asconius p. 59 Or., Cicero pro Cluentio 36 100 alteri nomen Lucio indidit) Cominii Spoletini, equites Romani, uixerunt, qui anno fere 680/74 G. Aelium Paetum Staienum accusauerunt (cf. pro Cluentio l. c.), deinde anno 688/66 M'. Lepido L. Volcatio consulibus G. Cornelium lege Cornelia de maiestate reum fecerunt. *detulit nomen*, ut Asconii uerbis utar, *Publius, subscripsit Gaius. et cum P. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset eoque die ipse non adfuisset, seu auocatus propter publici frumenti curam seu gratificans reo, circumuenti sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, si mox non desisterent. quam perniciem uix effugerunt interuentu consulum, qui aduocati reo descenderant. et cum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi in noctem ibi se occultauerunt, deinde per tecta uicinarum aedium profugerunt ex urbe. postero die*

Digitized by Google

cum P. Cassius adsedisset et citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Cornelii. Cominii autem magna infamia flagrauerunt uendidisse silentium magna pecunia. at sequenti anno 689/65 Cornelius iterum a P. Cominio coram Q. Gallio praetore eiusdem criminis accusatus est, sed a Cicerone quadriduo egregie defensus sententiis longe plurimis absolutus est. iam si carmen CVIII adcuratius consideramus, manifestum est Cominium in primis linguae procacitatis caussa Catullo odiosum fuisse. nam Catullus ait populo Romano, si Cominium senem 'spurcatum inpuris moribus' digna morte adficere liceret, placiturum esse primum linguam eius bonis inimicam exectam auido uulturi proicere, deinde ceteras corporis partes membraque diuulsa aliis bestiis uoranda tradere. quae quam bene in accusatorem inuidiosum, cui acre dicendi genus fuisse Cicero iudicauit, quadrent quiuis intellegit. praeterea cum res hominum priuatorum tractare eisque se ultro inmiscere Catulli mos non fuerit, contra si quis aut se ipsum aut sibi amicos lacessiuerat, acerrimum in defendendo siue inpugnando se praebuerit, tantum abest ut poeta in uniuersum Cominii petulantiam linguae castigare uoluerit, ut sine ulla dubitatione carmine CVIII iniuriam quandam a Cominio aut sibi aut alicui suorum amicorum inlatam ultus sit. itaque, ut breuiter et audacter quae sentio dicam (quando quidem in his tenebris locus etiam audaciori et artificiosiori coniecturae uix denegabitur), equidem conicio poetam Veronensem anno 689/65, quo annum uigesimum alterum aetatis agebat, accusatione G. Cornelii per P. Cominium instituta iratum

carmen CVIII scripsisse. at estne aliqua ex caussa probabile G. Cornelium (cf. Drumanni hist. Rom. II 611) Catullo amicum fuisse? certi nihil de hac re inuestigari potest. sed sententiae a nobis defensae aetas quidem Cornelii obnoxia non est. qui quamquam quaestor Gn. Pompei Magni et postea anno 687/67 tribunus plebis fuit, itaque minimum decennio Catullum aetate antecessit, nihilo tamen minus cum Catullo amicitia coniunctus esse potuit. quid? quod fortasse ad eundem illum G. Cornelium Catullus carmen CII *Si quicquam tacito commissum est fido ab amico* scripserit: nam alterum Cornelium qui in libro Catulli commemoratur (Nepotem dicimus) in carmine CII non posse a poeta significatum esse iam supra p. 296 adnotabamus. si igitur coniectura quam proposuimus ueri similis est, Cominius anno 689/65 iam senex fuerit necesse est. neque tali eius aetati ea refragantur quae aliunde de P. Cominii aetate memoriae tradita sunt. etenim dum modo sumamus Cominium ad superiores gradus senectutis peruenisse, omnia satis bene conspirant. P. enim Cominius non ita diu ante annum 708/46 mortuus est (cf. Ciceronis Bruti 78 271). fac igitur anno 689/65 Cominium annos sexaginta natum fuisse (quod si fuit, merito a Catullo senex adpellari potuit), eum usque ad annum fere septuagesimum quintum uitam produxisse putabimus. praeterea coniecturae nostrae consensus quidam carminis CVIII et enarrationis Asconianae fauere uidetur. nam, si propter caussam Cornelii in Cominium illud scriptum est epigramma, ex odio maximo, quod Cominius Cornelio, qui iura populi Romani inpigre defensitabat, ex

Digitized by Google

optimatium auctoritate inpugnando et saepius accusando sibi conflauerat, et quod iam anno 688/66, tum cum Cominii populi furore paene interfecti erant, uehementissime eruperat, Catullo facile licuit conclusionem de poena facere ea qua illum iuris sui et libertatis contemptorem adficere plebs Romana cupiuit. denique quae ad Cominii aestimationem spectant, adnotari potest Ciceronem eius laudibus magis quam plerumque facere solebat pepercisse. ita enim satis frigide pro Cluentio 36 100 Cominios fratres laudauit: *omitto et haec et alia permulta, quae illo iudicio in Staienum dicta sunt: hoc dico eandem tum fuisse P. et L. Cominiis, equitibus Romanis, honestis hominibus et disertis, controuersiam cum Staieno, quem accusabant, quae nunc mihi est cum Accio.* neque in Bruto 78 270 alterum fratrem Publium nisi modice laudauit: *hoc loco Atticus 'putarem te' inquit 'ambitiosum esse, si, ut dixisti, ei quos iam diu conligis uiuerent. omnes enim commemoras qui ausi aliquando sunt stantes loqui, ut mihi inprudens M. Seruilium praeterisse uideare'. non, inquam, ego istuc ignoro, Pomponi, multos fuisse qui uerbum numquam in publico fecissent, cum melius aliquando possent quam isti oratores quos conligo dicere. sed his commemorandis etiam illud adsequor ut intellegatis primum ex omni numero quam non multi ausi sint dicere, deinde ex eis ipsis quam pauci fuerint laude digni. itaque ne hos quidem equites Romanos, amicos nostros, qui nuper mortui sunt, omittam, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi G. Cornelium, in quo et conpositum dicendi genus et acre et expeditum fuit . . .* his quae de Cominio exposuimus adicere lubet coniecturam de carmine XXXXVIIII

Digitized by Google

Disertissime Romuli nepotum non nemini magis quam quae supra p. 127 proposita est fortasse placituram. quid enim, si Catullum putamus carmine illo, quo Ciceronis eloquentiam laudibus summis extulit, huic pro egregia Cornelii amici sui defensione gratias egisse maximas? quales de illa potissimum oratione Tullium praecipue meruisse Quintilianus testis est (institut. orator. VIII 3 3) haec dicens : *nec fortibus modo sed etiam fulgentibus armis proeliatur in caussa Cicero Cornelii.*

Iam ad carmen LXXXIIII *Chommoda dicebat, si quando commoda uellet* transeamus inlustrandum, quo Catullus Arrium quendam propter nimium et ridiculum in loquendo aspirationis abusum acerbe exagitauit. quo de abusu paullo adcuratius exponendum esse uidetur. quod consilium Catullus carmine illo persecutus sit clare elucet. pronuntiandi urbanitas rusticitati cuidam pronuntiationis opponitur. pro fundamento disputationis nostrae uti licet loco Quintiliani quodam, qui (institut. orator. I 5 19) *illa* inquit *non nisi aure exiguntur quae fiunt per sonos : quamquam per aspirationem, siue adicitur uitiose siue detrahitur, apud nos potest quaeri an in scripto sit uitium, si H littera est, non nota. cuius quidem ratio mutata cum temporibus est saepius. parcissime ea ueteres usi, etiam in uocalibus, cum 'oedos ircosque' dicebant, diu deinde seruatum ne consonantibus aspirarent, ut in 'Graccis' et in 'triumpis' : erupit breui tempore nimius usus, ut 'choronae' 'chenturiones' 'praechones' adhuc quibusdam inscriptionibus maneant, qua de re Catulli nobile epigramma est. inde durat ad nos usque 'uehementer' et 'conprehendere' et 'mihi'. nam 'mehe' quoque pro 'me' apud antiquos tragoe-*

Digitized by Google

diarum praecipue scriptores in ueteribus libris inuenimus. Latinos constat iam inde ab antiquissimis temporibus aspirationem quam grammatici dicunt ex hereditate Indoeuropaea olim in Italiam conportatam deponere paullatim et sensim consueuisse : praecipue Romani, postea quam litteris operam dare coeperunt, urbanitatis quam nominabant studiosissimi quo magis linguam suam excolerent, eo diligentius 'leniter et leuiter' (cf. LXXXIIII 8) pronuntiauerunt et ab aspiratione quam maxime abhorruerunt uehementiore, qua usi Romani antiquiores grauiter et aspere loquebantur quamque cum rustici urbis elegantiis non inbuti tum feminae, antiquitatis incorruptioris custodes, et rusticae et urbanae fidelius seruabant. at tamen temporibus Ciceronis et Catulli hominibus nec paucis neque indoctis antiquitatem quasi robiginosam quandam in loquendo exprimere placuit. quo de studio inepto Cicero (de oratore III 11 42) L. Crassum oratorem ita pulcre exponentem fecit : *est autem uitium quod non nulli de industria consectantur. rustica uox et agrestis quosdam delectat quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere uideatur : ut tuus, Catule, sodalis L. Cotta* (cf. Quintil. inst. XI 3 10) *gaudere mihi uidetur grauitate linguae sonoque uocis agresti, et illud quod loquitur priscum uisum iri putat, si plane fuerit rusticanum. me autem tuus sonus et subtilitas ista delectat, omitto uerborum, quamquam hoc est caput : uerum id adfert ratio, docent litterae, confirmat consuetudo et legendi et loquendi : sed hanc dico suauitatem quae exit ex ore, quae quidem ut apud Graecos Atticorum sic in Latino sermone huius est urbis maxime propria.* haec illorum ratio pronuntiandi quanto

21 *

Digitized by Google

opere cum pronuntiandi consuetudine rusticorum conspirauerit ex alio loco manifestum est quo illius Cottae a Crasso uituperati ipsius mentio fit (de oratore III 11 46) : *quare Cotta noster, cuius tu illa lata, Sulpici, non numquam imitaris, ut iota litteram tollas et E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos sed messores uidetur imitari.* illi igitur priscorum Romanorum imitatores praeter alia etiam morem grauius et asperius aspirandi redintegrarunt orationem suam corroboraturi. hanc enim uim fuisse aspirationis Gellii uerba haec (noctium Atticarum II 3 1. 4) demonstrant : *H litteram siue illam spiritum magis quam litteram dici oportet, inserebant eam ueteres nostri plerisque uocibus uerborum firmandis roborandisque ut sonus earum esset uiridior uegetiorque . . . . in his enim uerbis omnibus litterae seu spiritus istius nulla ratio uisa est, nisi ut firmitas et uigor uocis quasi quibusdam neruis additis intenderetur.* atque hanc quoque consuetudinem fortius aspirandi cum rusticorum pronuntiatione aliquatenus concinuisse uerba quaedam Nigidii Figuli, uiri Catullo aequalis, a Gellio noctium Atticarum XIII 6 3 seruata probant : *P. Nigidius in commentariis grammaticis 'rusticus fit sermo' inquit, 'si aspires perperam'.*

Itaque Arrius, ut ad Catullum reuertar, rusticorum more litteras grauius inflans et quasi anhelans (cf. uers. 4 *quantum poterat*) praeter alia *hinsidias* pro *insidias chommoda* pro *commoda Hionios* pro *Ionios* loquebatur egregie se loqui arbitratus : qua re cauillationem prouocauit Catulli, qui inde a uersu septimo carminis LXXXIIII haec dixit :

Digitized by Google

hoc misso in Syriam requierant omnibus aures :
audibant eadem haec leniter ac leuiter,
nec sibi postilla metuebant talia uerba,
cum subito adfertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, posquam illuc Arrius isset,
iam non Ionios esse sed Hionios.

quorum uersuum extremi sine dubio ita sunt intellegendi ut comes quidam Arrii e Syria redux hunc narrauerit ne 'Ioniae' quidem uoci suauissimae pepercisse sed (horribile dictu) aspiratione perperam addita eam corrupisse. restat ut quaeramus quis Arrius ille fuerit. Achilles Statius cum Q. Arrium ab Asconio in argumento diuinationis in Caecilium Ciceronianae p. 97, 4 et in libri Liuiani LXXXXVIIII epitome commemoratum a Catullo in hoc carmine putauit significatum esse, recte iudicasse uidetur. nihil tamen addere uoluit quo hanc suam sententiam redderet probabiliorem, etsi non nullis argumentis corroborari posse uidetur, quae nisi fallor ex Bruti Ciceroniani loco hoc (69 242) petere licet : *eodem tempore G. L. Caepasii fratres fuerunt, qui multa opera, ignoti homines et repentini, quaestores celeriter facti sunt, oppidano quodam et incondito genere dicendi. addamus huc etiam, ne quem uocalem praeterisse uideamur, G. Cosconium Calidianum, qui nullo acumine eam tamen uerborum copiam, si quam habebat, praebebat populo cum multa concursatione multoque clamore. quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum. is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat multorum oboedire tempori multorumque uel honori uel periculo seruire. his enim rebus infimo loco natus et honores et pecu-*

Digitized by Google

niam et gratiam consecutus etiam in patronorum sine doctrina sine ingenio aliquem numerum peruenerat. sed ut pugiles inexercitati, etiam si pugnos et plagas Olympiorum cupidi ferre possunt, solem tamen saepe ferre non possunt: sic ille, cum omni iam fortuna prospere functus labores etiam magnos excepisset, illius iudicialis anni (702/52, uide Bruti 94 324) *seueritatem quasi solem non tulit.* iam uide quam bene ad sententiam quam defendimus conprobandam omnia conspirent. uidemus ex Ciceronis uerbis Arrium ex oratoribus ualde mediocribus fuisse. nonne uero, si Arrio oratori malo pronuntiandi illud uitium, quod Cicero quoque in libris de oratore castigauit, Catullus obicit, multo maiorem uim acerbitatemque totum accipit carmen? deinde Cicero Arrium infimo natum esse loco dicit. quid? nonne tali ex origine Arrium illam rustice aspirandi consuetudinem adsumpsisse, ita ut similis quodam modo Caepasiis fratribus, quibuscum simul a Cicerone nominatur, oppidano quodam (hoc est 'paene rustico') et incondito genere dicendi uteretur, promptissima coniectura est? illam uero Arrii originem humilem a Catullo profecto caussam pronuntiationis uitiosae existimatam esse tertium carminis distichum hoc explicate declarare mihi quidem uidetur:

credo sic mater, sic Liber auunculus eius,
sic maternus auus dixerat atque auia.

cur enim Catullus non agnatos et cognatos simul sed solos cognatos Arrii eos designauit a quibus illud pronuntiationis uitium ille hereditarium acceperit? de hac re iam Antonius Parthenius, qui in Catullo interpretando

Digitized by Google

permulta laudabilia inuenit, sententiam dixit falsam quidem sed quam adcuratius consideremus dignissimam. feminarum esse ait incorrupti sermonis antiquitatem et integritatem fidelius et quasi tenacius quam uiros seruare. hac de re legenda sunt quae Iacobus Grimmius in praefatione thesauri linguae Germanicae p. XIII in uniuersum dixit. idem neque Graecos neque Romanos latuit. cf. Platonis Cratyli p. 418 C *καὶ οὐχ ἥκιστα αἱ γυναῖκες, αἵπερ μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσι.* similiter scriptores Latini de hac re iudicarunt. in primis Ciceronis duo loci conferendi sunt, quorum alter in libris de oratore (III 12 45) alter in Bruto (58 210) extat. priore loco Tullius L. Crassum oratorem, generum Q. Mucii Scaeuolae Auguris, ita loquentem fecit : *equidem cum audio socrum meam Laeliam* (filiam G. Laelii Sapientis) — *facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conseruant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper quae prima didicerunt* — : *sed eam ita audio ut Plautum mihi aut Naeuium uidear audire. sono ipso uocis ita recto et simplici est ut nihil ostentationis aut imitationis adferre uideatur : ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores : non aspere ut ille quem dixi* (Cotta), *non uaste non rustice non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter.* altero loco quem iam adnotaui Bruti, unde Quintilianus inst. orat. I 1 6 sua hausit, Cicero haec dixit : *erant tamen quibus uideretur illius aetatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse uerbis utebatur et quia Latine non pessime loquebatur usu credo aliquo domestico. nam litterarum ad modum nihil sciebat : sed magni interest quos quisque audiat quotidie*

Digitized by Google

domi, quibuscum loquatur a puero, quem ad modum patres paedagogi matres etiam loquantur. legimus epistulas Corneliae matris Gracchorum : adparet filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris. auditus est nobis Laeliae G. f. saepe sermo : ergo illam patris elegantia tinctam uidimus et filias eius Mucias ambas, quarum sermo mihi fuit notus, et neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc uero Scipionis etiam tu, Brute, credo aliquando audisti loquentem. hos duos locos Catulli locum bene inlustrare quispiam putauerit. nonne ratione plane eadem qua usus priore loco Ciceronis a Laeliae sermone ad eius patris et ad eius maiorum sermonem Crassus orationem reflectit, Catullus ab Arrii matre et auunculo ad eius maternum auum et auiam maternam regreditur ? at feminarum sermonem Cicero ualde laudauit, uituperauit Catullus. num hic solui potest dissensus ? uix posset, nisi Arrium infimo ex genere natum esse sumeremus. Cicero de sermone nobilissimarum tantum modo feminarum, quarum domus uetere maiorum instituto puro sermoni adsuefactae erant, dixit. sed fide eadem qua feminae illae nobiles purum sermonem et incorruptum propagare solebant, feminae humiliore loco ortae rusticum sermonem sibi insitum atque innatum tenaciter retinebant et liberis posterisque prodebant. itaque Arrius quoque illo ut tum uidebatur uitioso sermone inbutus fuisse putandus esset. haec omnia fortasse recte se habere possunt : at tamen altera quam iam supra p. 326 significauimus explicatio uidetur esse praeferenda. dubito enim quin ea de caussa quia sermo siue bonus siue malus a feminis fidelissime seruari et propagari putabatur, Catullus patris et agna-

Digitized by Google

torum Arrii nullam in tertio disticho mentionem fecerit, contra matrem illius et cognatos solos nominauerit. namque ut de auo Arrii materno hoc loco nominato nihil dicam, num, si Parthenii explicatio recte se haberet, auunculus Arrii, hoc est frater matris Arrii, a Catullo in uersu 5 iure adpellari posset? — Ceterum fateor Passeratium (praelect. in Catullum p. 75) non sine caussa in nomine proprio auunculi *(Liber)* offendisse, cuius loco nomen adiectiuum potius auunculum illum adcuratius designans expectamus. atque pariter ductibus librorum Catullianorum religiose seruandis atque sensui Theodorus Marcilius (in asterismis ad Catullum p. 16) consuluit, cum ex glossa Labbaei p. 86 *iber ἡμίονος, ἀπὸ βοὸς καὶ τιτύρου* uersum quintum ita scribi iussit *credo sic mater, sic iber auunculus eius.* de uocabulo *iber* dubitari non licet. praeter glossam a Marcilio adlatam in libro Labbaeano p. 226 et 227 ex duobus codicibus Sangermanensi et Regio duae glossae expromuntur, quarum altera illi quam iam excripsimus simillima est haec *iber ἀπὸ βοὸς καὶ τιτύρου*, altera ita scripta est *hir* (Germ. *heri* Reg.) *ἀπὸ προβάτου καὶ τιτύρου.* ex *hir* et *heri* restituendum est *hiber*. deinde p. 87 Labbaei haec glossa extat *imbrum ἡμίονον, πρόβατον.* quocum uocabulo *umbri* conferendi sunt quos Plinius (hist. nat. VIII 49 199) commemorauit: *est et in Hispania sed maxime Corsica non maxime absimile pecori genus musmonum caprino uillo quam pecoris uelleri propius. quorum e genere et ouibus natos prisci umbros uocarunt.* contra in loco Pauli Diaconi p. 33 Muell. *bigenera dicuntur animalia ex diuerso genere nata, ut leopardalis ex leone et panthera, cicur ex*

Digitized by Google

apro et scrofa domestica, muli ex equa et asino lectio olim uulgata *ibris ex apro et scrofa domestica* fide caret : cf. Muellerum ad h. l., qui post Vossium (in etymolog. Lat. p. 334) Doederlinium (de synon. Lat. vi 158) alios uerba illa cum *ibrida hybrida* cognatione cohaerere recte intellexit. itaque coniectura illa Marcilii temere reici posse non uidetur. tamen uersus uulgarem etiam formam *hibrida* recipit. non nimis autem in eo haerendum quod nullus alius scriptor uocabulum humile illud *iber* uel *hiber* usurpauerit. nam alia quoque uerba Catullus quod sciamus solus ex sermone plebeio uel familiari adsumpsit: consideres uelim haec : *trusare* (LVI 6) *salaputium* (LIII 5) *suppernata* (XVII 19) *ploxemum* (LXXXXVII 6 cf. Quintil. I 5 8) *carpatinae* (LXXXXVIII 4) *expatrare* (XXVIIII 16 cf. gloss. Labb. p. 69) *ile* (LXIII 5 cf. gloss. Labb. p. 87 Hauptii qu. Cat. p. 69).

Vt tandem ad rem redeamus, explicatione Parthenii artificiosiore reiecta Catullum uerius dicemus ex cognatis Arrii uitium pronuntiandi ideo repetisse quia Arrius patre quidem uiro honesto uteretur, contra ex matre loco obscuro et tenui nata oriundus esset. haec si uera sunt, optime explicatur cur patrem Arrii non nominauerit. praeterea haec sententia eo adiuuatur quod Q. Arrius ille circa annum 695/59 in patris aliquot annis ante mortui honorem (hoc enim quamquam adcurate non est traditum memoriae, ueri simillimum est, cf. Borghesii de gente Arria commentatio Mediolani 1817 edita Orellii onom. Tull. p. 73 Drumanni hist. Rom. v 687, 58) epulum funebre lautissimum et celebratissimum, quod praeter Ciceronem in Vatin. 12 30 et scholiastam Bo-

Digitized by Google

biensem p. 322, 3 Horatius saturarum II 3 86 commemorauit, populo Romano dedit. quod non fecisset opinor Arrius, si pater eius nimis obscuram habuisset originem. denique unum restat de quo pauca dicenda sunt. Arrium Cicero Bruti loco quem p. 325 excripsi ait M. Crassi secundarum partium fuisse : adsumpsit igitur Crassus saepissime Arrium socium qui secum in eisdem caussis ante iudices agendis diceret. unde sine dubio conligi potest cum Arrio multa necessitudine coniunctum fuisse M. Crassum, ut pote cui actore partium secundarum uel per indolem oratoriam a gloria eloquentiae insigni quadam adipiscenda alieno opus esset. idcirco Arrius Crassum (nec solum in foro et in rostris) ita adiuuit ut sese facturum esse ille homo inportunus Horatio (saturarum I 9 45) pollicitus est :

haberes
magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
hunc hominem uelles si tradere : dispeream ni
submosses omnes.

praeterea in uersu septimo Arrius in Syriam missus esse narratur. nonne eis quae diximus probabile quodam modo fit Arrium nescio quo munere publico instructum in cohorte familiaris sui M. Crassi fuisse eumque in Syriam prouinciam sub finem anni 699/55 secutum esse? quae coniectura si probatur, Catullus non ante priores menses anni 700/54 carmen LXXXIIII scribere potuisse uidetur, quoniam is qui nuntium de mari 'Hionio' quod Arrius nominauisset Romam attulerat non prius ex Asia redisse potuit.

Digitized by Google

Disputatio nostra ad carmen LXI de nuptiis Manlii et Viniae inlustrandum conuertitur, quod, si Manlium et Viniam qui fuerint quaerimus, ualde obscurum est. uel in nomine sponsae offendimur, ut pote quae in uersu sexto decimo Vinia et in uersu octogesimo septimo Aurunculeia adpelletur. cuius utriusque nominis forma non extra omnem dubitationem posita est. nam pro Viniae nomine, quod libri Datanus et Santenianus habent quodque in Dresdensis corruptela *uinea* latet, in Sangermanensi Laurentiano (33 12) Riccardiano *Iunia* legitur, et Achilles Statius *in omnibus* inquit *fere manuscriptis non* '*Iulia*' (quae est lectio olim uulgata ex interpolatione profecta uerbi caussa in libro Hamburgensi extans et a correctore etiam in Datanum inlata) *sed* '*Iunia*'. illae autem duae lectiones *uinia* et *iunia*, si singula litterarum elementa respicis, paene nullo inter se discrimine separantur : unde factum est ut nomina Viniorum et Iuniorum alibi quoque saepius confunderentur. utrum igitur nomen praeferendum sit, cum ex rebus ipsis nullum nisi Viniae nomen rarius et exquisitius esse quam Iuniae argumentum peti possit, aliter diiudicari non potest nisi auctoritate testium alterum utrum defendentium examinata. Lachmannus, quem Hauptius et Rossbachius secuti sunt, ex suis libris *Vinia* scripsit, Heysius contra suis magis confisus libris *Iunia*. alterum nomen sponsae in libris sinceris *Arunculeia* scribitur, quam lectionem olim a Statio dubitanter commendatam et nuper demum ab Hauptio Rossbachio Pleitnero receptam iam Itali saeculi quinti decimi multis iam inde a Scaligero editoribus adsensis in formam *Aurunculeia* nuper ab

Digitized by Google

Heysio quoque probatam mutarunt. quod non iniuria fecerunt : nam forma nominis huius auctoritate inscriptionum ueterum munita, quam codices manu scripti aliorum librorum optimi quique defendunt, *Aurunculeia* est : cf. quae Fridericus Osannus de hac re (in commentar. semin. philolog. Giss. spec. III p. 13) disputauit. praeterea origine ipsa uerborum ratio scribendi *Aurunculeia Aurunca Auruncus* alia id genus defenduntur. namque cum uocabulo *Auruncus*, unde nomina *Aurunceius Aurunceia* eadem ratione atque a uerbo deriuato *Aurunculus*, quod per se solum stare usus loquendi sinere noluit, nomina *Aurunculeius Aurunculeia* formata sunt, nomen *Ausonum* artissime cohaeret : est enim *Auruncus* idem quod *Ausuncus*, quo uocabulo adfini quiuis uidet diphthongum *au* uocabulorum *Auruncus Aurunculeius* optime confirmari. quid quod diphthongum illam nomen etiam *Aureliorum* tuetur, quod ex radice unde *Auruncus* uenit eadem descendisse mihi quidem certum uidetur esse. iam pridem a uiris doctis cognitum est *Aureliorum*, qui *Auselii* antiquitus uocabantur, nomen a radice *us* praeterea in uerbis Latinis *uro(= uso) ustulo aurora Auster* et in Graecis ἠέλιος ἠώς αὔω αὐστηρός latente ductum esse. hac ex radice *us* augmento quodam uocali corroborari solita per uaria suffixa quae uocant partim simplicia partim conposita uocabula multa alia fiunt. in his igitur nomen *Aurunculeiorum* est, cuius conpositio artificiosa quidem et multiplex nec tamen obscura est. nam stirpem *aus* quattuor suffixa deriuatiua excipiunt, ut particulae uocabuli singulae ita sint discernendae *Aus-un-cu-l'-eio-s*. harum terminationum

Digitized by Google

singulae cum stirpe *aus* etiam separatim coniunguntur. itaque suffixum *un on* solum in *Aus-on-es*, in *Aus-cu-s* solum suffixum *co* usurpatum est (cf. *Aus-ter* et *Tus-cus* = *Turs-cus* cf. *Τυρσ–ηνοί*), suffixum *io* unicum, quod quam arte cum terminatione *eio* in nominum Latinorum formatione coniunctum fuerit Ritschelius (de sepulcro Furiorum, Bonnae 1853) demonstrauit, in *Aur-ius* adparet, duo suffixa *un* et *co* in *Auruncus*, *lo* et *io* praemissa uocali copula in *Aurelius*, tria denique suffixa *un* et *co* et *eio* in *Aurunceius* extant. his omnibus consideratis et perpensis scriptura *Aurunculeia* praeferenda uni cuique uidebitur. tamen hac quaestione absoluta difficultates de nomine sponsae non omnes explicatae sunt. nam cum solo nomine gentilicio patris, cui cognomen paternum rarius addebant, feminae Romanae uterentur, in duplici nomine gentilicio Viniae siue Iuniae Aurunculeiae offendimus. qua difficultate intellecta Scaliger, cui Krebsius (de Catulli carmine nuptiali Manlii et Iuliae, Gissae 1813 p. 15) et Silligius adsentiuntur, nomen alterum adoptione sponsam nactam esse bene coniecit. qui idem Aurunculeiam a Vinio quodam adoptatam esse rectius statuit quam Krebsius Viniam ab Aurunculeio adoptatam esse arbitratus. namque Scaligeri sententia uersu sexto decimo optime defenditur. poeta enim nomina sponsi et sponsae primum adpellaturus ea nomina quibus illi publice et quasi proprie utebantur debuit pronuntiare: sponsae autem nomen pristinum, quamquam consuetudine familiari fortasse retentum (cf. Drumanni h. R. II 44. 566 IIII 176 V 88), tamen in usu publico abolitum priore loco eo minus nominare potuit, quo

magis uerendum fuisset noui sponsae gentiles ne aegre ferrent quod poeta suam gentem genti ei ex qua illa adoptione discessisset, posthabuisse uideretur. — De sponsi nomine omnia plana sunt. fuit enim Manlius Torquatus. nomen gentile in uersibus 16 et 222 legitur, cognomen ex uersu 216 facile cognoscimus :

Torquatus uolo paruolus
matris e gremio suae
porrigens teneras manus
dulce rideat ad patrem
semihiante labello.

e gente nobilissima maritum oriundum fuisse stropha proxime antecedente docemur :

Ludite ut lubet et breui
liberos date. non decet
tam uetus sine liberis
nomen esse, sed indidem
semper ingenerari.

praeter Krebsium nemo explicatius inquirere instituit num Manlius Torquatus quem Catullus dixit aliunde quoque nobis innotuerit. Krebsius duos Manlios Torquatos attulit, quos L. Manlii Torquati consulis anni 689/65 filios adpellauit : quorum alter A. Manlius Torquatus praetor anno 702/52 alter L. Manlius Torquatus praetor anno 705/49 fuerit. sed haec non ab omni parte certa sunt. L. quidem Manlium praetorem anni 705/49 L. Manlio consule anni 689/65 patre usum esse (cf. Cic. de fin. II 19 62) scimus, contra idem de A. Manlio Torquato, quem Krebsius praetorem anni 702/52

Digitized by Google

et Africae anno sequenti propraetorem adpellauit, minime probabile nedum certum est. neque uideo quibus argumentis illos Manlios fraterno nomine coniunctos fuisse probari possit, nisi forte quis uerbis his quae Cicero ad Atticum (VIIII 8 1) scripsit temere abutitur : *de L. Torquato quod quaeris, non modo Lucius sed etiam Aulus profectus est.* e contrario mihi quidem loco qui in Ciceronis de finibus II 22 72 est clarissime elucere uidetur Aulum et Lucium non fuisse fratres. ibi enim Cicero cum ipso Lucio Torquato conloquens ut praecepta sua exemplis ex historia desumptis muniat mentionem Titi illius antiqui Manlii Torquati facturus ita scripsit : *quid enim? fortemne possumus dicere eundem illum Torquatum? — delector enim, quamquam te non possum, ut ais, corrumpere, delector inquam et familia uestra et nomine. et hercule mihi uir optimus nostrique amantissimus, A. Torquatus, uersatur ante oculos, cuius quantum studium fuerit et quam insigne erga me temporibus illis, quae nota sunt omnibus, scire necesse est utrumque uestrum, quae mihi ipsi, qui uolo et esse et haberi gratus, grata non essent, nisi eum perspicerem mea caussa mihi amicum fuisse.* hoc loco Cicero fratris nomen reticere non potuit, si A. et L. Manlii re uera fratres fuissent. nec melioribus argumentis praetura A. Torquati anni 702/52 conprobata est. haec enim sententia locis duobus argumenti Asconii Pediani in Ciceronis Milonianam (§ 25 et 33) innititur. ibi enim enarrator diuinationem eorum qui Milonem anno 702/52 de ambitu accusaturi essent quaesitore A. Torquato factam esse et praeterea alia quaedam quae scire nostra non interest narrauit. itaque

Digitized by Google

quaesitor quidem A. Torquatus anno 702/52 fuit, sed inde praetorem eum fuisse temere concluditur. quamquam enim saepe praetores qui quaestionibus publicis praeerant quaesitorum nomine designantur, tamen 'quaesitores' proprie uocantur aut praesides quaestionum extra ordinem institutarum aut iudices quaestionum, hoc est homines priuati qui loco praetorum rite creatorum singulis quaestionibus perpetuis, quibus regendis numerus praetorum legitimorum non sufficiebat, praeponebantur. cur autem A. Torquatum anno 702/52 praeturam administrasse negemus clare adparebit, si tempora quibus ille pro praetore in Africa fuerit adcuratius considerauerimus. Cicero enim pro Plancio 11 27 haec narrauit : *hic* (Plancius) *est enim, qui adulescentulus cum A. Torquato profectus in Africam sic ab illo grauissimo et sanctissimo atque omni laude et honore dignissimo uiro dilectus est ut et contubernii necessitudo et adulescentis modestissimi pudor postulabat. quod, si adesset, non minus ille declararet quam hic illius frater patruelis et socer, T. Torquatus, omni illi uirtute et laude par, qui est quidem cum illo maximis uinculis et propinquitatis et adfinitatis coniunctus, sed ita magnis amoris ut illae necessitudinis caussae leues esse uideantur.* ex his uerbis pridem intellectum est Torquatum pro praetore in Africa fuisse. quod quo anno fuerit etsi adcurate definiri non potest, tamen in uniuersum tempus nos non fugit. nam cum ex uerbis Plancianae eis quae locum a nobis modo exscriptum proxime excipiunt Plancium manifestum sit ex Africa reducem cum Q. Metello Cretico in Creta fuisse, cumque Metellum constet ab anno 686/68 usque ad annum

Digitized by Google

691/63 in Creta moratum esse, facile conligimus A. Torquatum non post annum 691/63 in Africa pro praetore esse potuisse. ex altera parte ante annum 681/73 A. Torquatum Africam non administrasse inde conicio quod Plancius ille (qui annorum quibus magistratus gessit ratione habita anno fere 664/90 natus esse uidetur et adulescentulus, ut Cicero ait, sub Torquato propraetore prima stipendia fecit) anno 681/73 annos septendecim habuit, qua aetate iuuenes Romani primum ad rem militarem accedere solebant. itaque, ut tempus in uniuersum definiamus, anno fere 685/69 A. Torquatum Africae praesidem fuisse sumamus, quo quadraginta annis eum natu non minorem fuisse certum est. adfirmamus igitur primum A. Torquatum propraetorem Africae et A. Torquatum quaesitorem eundem hominem fuisse, id quod Broeckerus (in Paulii encyclop. IIII 1494) dubitanter coniecit: deinde Aulum Torquatum anno fere 684/70 praetorem fuisse annoque sequenti 685/69 pro praetore Africam prouinciam administrasse, atque multis annis post anno 702/52 propter grauitatem sanctitatem dignitatem (cf. Cic. p. Planc. 11 27) extra ordinem iudicem quaestionis de Milonis ambitu instituendae a Pompeio, cui addictus erat, electum esse: denique arbitramur illum Aulum Torquatum non posse filium L. Manlii consulis anni 689/65 esse, atque uel temporum rationes obstare quo minus Catullum in eius nuptias carmen LXI scripsisse credamus. at quid multis opus est uerbis, quoniam tota res quam breuissime confici potest? ex loco enim Plancianae quem supra excripsimus A. Torquatum non tam Viniam quandam Aurunculeiam

Digitized by Google

quam Manliam, filiam fratris sui patruelis T. Torquati, in matrimonium duxisse scimus. ceterum haec quae de aetate A. Torquati disseruimus epistulis quattuor (ad famil. vi 1—4), quibus Cicero eundem Athenis Pompeio uicto exulem anno 709/45 consolari studuit, optime confirmantur. cum enim ex epistularum harum ut ita dicam habitu Ciceronem non cum uiro multis annis se natu minore sed cum uiro sibi fere aequali conlocutum esse uideamus, rationes quas modo subduximus ualde commendantur. in primis hic locus quo Torquatum Tullio aetate supparem fuisse cognoscatur consulendus est (ad fam. vi 4 4) : *deinde quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam uocer ad exitum uitae, non ab ea re publica auellar qua carendum esse doleam, praesertim cum id sine ullo sensu futurum sit. adiuuat etiam aetas et acta iam uita, quae cum cursu suo bene confecto delectatur, tum uetat in eo uim timere quo nos iam natura ipsa paene perduxerit.* anno autem 709/45, quo Cicero haec scripsit, ipse Tullius et Manlius aetatis annum sexagesimum iam excesserant. uidemus igitur Krebsium tota re errasse, cum uidendum esse dixit ne huius nuptias Catullus carmine LXI celebrauerit. neque T. Torquatum eum quem Cicero pro Deiotaro (11 32) 'optimum adulescentem' nominauit a Catullo designatum esse temporum rationes credere sinunt. nam nuptiis eius, qui anno 709/45 adulescens fuit, Catullum interfuisse easque carmine celebrauisse inprobabile est. itaque quotquot Manlios Torquatos cognouimus, unus solus reperiri posse uidetur cuius tempora ita cum Catullianis congruant ut in eius honorem Catullus carmen

22 *

Digitized by Google

LXI scripsisse uideri possit: L. dicimus Manlium Torquatum consulis anni 689/65 eiusdem nominis filium, de quo uide quae Broeckerus in Paulii encyclop. IIII 1494 conlegit. is cum anno 705/49 praetor fuerit, duobus fere annis ante Catullum anno 665/89 natus uidetur. quod eo bene confirmatur quod Cicero (de fin. II 19 62) Lucium adulescentulum narrat anno 688/66 P. Sullae, quem lege Calpurnia de ambitu accusauisset, consulatum eripuisse. anno 688/66 enim, si rationes modo propositas sequimur, annos uiginti tres natus Lucius adulescentulus recte adpellari potuit. anno 691/63, quo ex nostra conputatione uiginti sex annos habuit, eum Cicero (pro Sulla 12 34) principem auctorem signiferum iuuentutis adpellauit. anno 692/62 Torquatum quaesturam petisse aetatis anno fere uigesimo septimo interpretes ad Ciceronis orationem pro Sulla 8 24 (cf. Halmium ad h. l.) recte coniecerunt. alia etiam res fauet quodam modo nostrae sententiae. Catullus, ut supra p. 335 uidimus, gentis Manliae nobilitatem et antiquitatem ualde praedicauit. quod cur fecerit optime intellegitur, si Lucii illius Manlii stirpem poeta dixit. Lucium enim Torquatum ex patricia gente ortum satis nobilitate generis sui superbisse Cicero pro Sulla (8 24) his indicauit uerbis: *sed tamen te* (Torquate) *a me pro magnis caussis nostrae necessitudinis monendum esse etiam atque etiam puto. non possunt omnes esse patricii: si uerum quaeris, ne curant quidem, nec se aequales tui propter istam caussam abs te anteiri putant. ac si tibi nos peregrini uidemur, quorum iam nomen et honos inueterauit et urbi huic et hominum famae ac sermonibus, quam tibi illos conpeti-*

Digitized by Google

tores tuos peregrinos uideri necesse erit, qui iam ex tota Italia delecti tecum de honore et de omni dignitate contendent (cf. etiam 9 27. 14 41). tamen ipse hic uir materno genere municipalis Asculanus fuit (pro Sulla 8 25). denique cum Torquatus litteris omnibus eruditus esset, eo facilius is cum Catullo amicitia et familiaritate coniunctus esse potuit. cf. quae Cicero in Bruto (76 265) de eo iudicauit : *reliqui sunt qui mortui sint* (Lucius Pompeianos secutus anno 707/47 in bello Africano periit, cf. bell. Afric. 96), *L. Torquatus, quem tu non tam cito rhetorem dixisses, etsi non deerat oratio, quam, ut Graeci dicunt, πολιτικόν : erant in eo plurimae litterae nec eae uulgares, sed interiores quaedam et reconditae, diuina memoria summa uerborum et grauitas et elegantia : atque haec omnia uitae decorabat dignitas et integritas.* praeterea eundem Torquatum in librorum quos de finibus bonorum et malorum scripsit primo et secundo Tullius praecepta Epicuri philosophi defendentem fecit. cuius operis locum unum (I 7 25) hic excribere liceat, quo uideamus L. Torquatum poetis legendis sedulo operam dedisse atque permultos uersus memoria, quam Cicero in Bruto diuinam nominauit, tenuisse ac conseruasse : quod scire, cum de Torquati et Catulli poetae amicitia quaeramus, nostra multum interest. *quid tibi*, inquit Cicero, *Torquate, quid huic Triario litterae, quid historiae cognitioque rerum, quid poetarum euolutio, quid tanta tot uersuum memoria uoluptatis adfert?* adparet igitur nihil obstare quo minus huius Manlii Torquati nuptias Catullus putetur carmine LXI celebrauisse. de tempore quo id scriptum sit ex rebus quae in eo

insunt omnino nihil discere possumus neque aetate Manlii respecta ullam satis adcuratam definitionem adsequimur. tamen haud scio an id temporis momentum ante quod Catullus carmen LXI scripserit necesse est definire nobis contingat.

Ad Manlium eundem, cuius honori Catullus carmine LXI conponendo consuluit, etiam LXVIII[a], de quo iam supra p. 124 disputauimus, poetam Veronensem misisse ueri simillimum est et iam pridem a uiris doctis adnotatum. si in diuersis eiusdem poetae carminibus eadem hominum nomina reperiuntur atque de hominibus illis, ut ita dicam, cognominibus nisi res bene inter se concinentes non narrantur, sumere sine dubio licet nomine eodem eundem designari hominem. quam rationem secuti nihil habemus quo Manlium Viniae maritum et Manlium carminis LXVIII[a] (hoc enim nomen nos tenere neque Lachmanni coniecturam *Manius* probare iam p. 71 diximus) unum atque eundem hominem fuisse negemus. immo fauent huic sententiae non nulla. paullo ante ex loco Ciceronis docuimus Viniae maritum poetarum legendorum studiosissimum fuisse : iam uide quam bene hac cum re ea quae in carmine LXVIII[a] 7. 8 de Manlio legimus congruant :

> *nec ueterum dulci scriptorum carmine musae*
> *oblectant, cum mens anxia peruigilat.*

L. Manlium Torquatum (ut hunc etiam in carmine LXVIII[a] Catullus adlocutus sit) fortuna casuque oppressum acerbo esse (LXVIII[a] 1) poeta dicit. qui casus qualis fuerit iam Parthenius et Palladius dispexerunt, quorum prior

Digitized by Google

haec adnotauit: *Manlius hic Iuliam uxorem, cuius superius celebratum est epithalamium, fato defunctam inmaturo deflens tanti maeroris consolationem a Catullo per epistulam quaesiuit, significans se infortunato coniugis Iuliae fato miserabiliter oppressum miseriae solacia requirere.* hanc explicationem uersus 5 et 6 optime tuentur:

quem neque sancta Venus molli requiescere somno
desertum in lecto caelibe perpetitur.

in his lectus caelebs de lecto qui nuptiis sternebatur geniali post coniugis mortem uiduo (quo sensu etiam is qui heroidem quae Ouidii fertur XIII scripsit (107) *lectum caelibem* et Catullus ipse LXVI 21 *orbum cubile* dixerunt) intellegendus neque cum Scaligero Vulpio Doeringio de amatorio quem uocauerunt lecto atque de discidio inter Manlium et puellam amatam orto explicandus est. namque nostram interpretationem adcuratus loquendi usus flagitat, quem neglectum putare nihil cogit, cum quae Vulpius interpretationi Parthenii opposuit, etsi satis leuia sunt et multo grauiora opponi poterant (ueluti Manlii, cuius lectum caelibem esse uersus 6 docet, puellam amatam ipsam in uersu 155 *sitis felices et tu simul et tua uita* commemorari), eo omni pondere destituantur quod ex carmine LXVIII[b] utique ab carmine LXVIII[a] separando (cf. supra p. 71 et Gruppii Minois p. 503) petita sunt. quid? quod homo qui discidium puellae suae queritur dici non potest fortuna casuque acerbo oppressus esse: immo qui uersuum 1—4 sententiam examinauerit, mecum consentiet in his fatale aliquid quod Manlio obtigerit indicatum esse nec de ulla re nisi de morte coniugis posse cogitari. sunt autem hi:

Digitized by Google

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
subleuem et a mortis limine restituam . . .

haec si probabiliter disputata sunt, coniciendum est L. Manlium Torquatum Viniam Aurunculeiam uxorem nouam mox morte amisisse. iam si carmen LXVIII[a] anno 696/58 scriptum esse nos supra p. 124. 134 recte statuimus, eodem anno Viniam e uita decessisse probabile est, unde nuptias eius et Manlii, de quibus carmen LXI est, aliquanto ante 696/58 factas esse adparet.

Difficultatibus multis disputatio de carminibus duobus quae ad homines et res Galliae Cisalpinae, prouinciae Catullo patriae, spectant inpedita est. dico carmina XVII *O Colonia quae cupis ponte ludere longo* et LXVII *O dulci iucunda uiro iucunda parenti.* Colonia illa quae fuerit uiri docti magno opere ambigunt. tamen in prouincia patria poetae eam fuisse ex uersu octauo, quo Catullus hominem quem hoc carmine inrisit municipem adpellauit suum, conligere posse uidemur. neque aliud quid nisi locorum uicinitas Catullum mouisse uidetur ut hominem stolidum illum in uersu 19 'alno' conpararet 'suppernatae securi Liguri' (uerbum enim *Liguri* cum *securi* aptius quam cum *fossa* conectendum esse Palladio adsentior : cui sententiae usum loquendi non repugnare multa demonstrant exempla : uide Valerii Flacci Argon. V 436 *texitur Argoa pinus Pagasea securi* Statii siluarum II 2 87 *Synnade quod maesta Phrygiae fodere secures*). illa conparatio ea de caussa aptissima est quod terra

Ligurum a materia nauali copiosissima arbores magnitudinis ingentis gignebat (cf. Strabonis IIII p. 202 Diodori v 39 Turnebi aduers. XXIIII 44 XXV 22). de Colonia ipsa uariae coniecturae propositae sunt. *non nulli*, ut Vossii (obseruationum p. 44) uerbis utar, *Coloniam hic interpretantur oppidulum aliquod prope Veronam, quod hodieque nomen seruat* (Cologna : ita Muretus fecit) : *alii uero de Mantua haec accipienda esse contendunt, ac si illa umquam Romana fuisset colonia. non deerunt etiam qui existimabunt intellegi hic praedium aliquod rusticum, cum non tantum apud iuris consultos colonia pro quauis uilla rustica accipiatur, sed etiam apud Columellam* XI 1 (cf. Forcellinum s. u. colonia). *rectius uero Scaliger coloniam hanc Comum interpretatur, ut pote quae paullo ante quam haec scriberet Catullus facta sit a Caesare colonia Romana sub nomine Noui Comi. et sane uidetur etiam hic aut domum aut uillam habuisse Catullus, ut ex eis quae infra dicentur fiet manifestum.* extrema quae Vossius dixit falsa sunt. Nouum Comum semel a Catullo in carmine XXXV commemoratur, de quo uide quae supra p. 295 diximus. Vossius autem libri interpolati Commeliniani lectione *gaudete uosque Lariae lacus undae* (XXXI 13) deceptus haec p. 78 scripsit erroribus plenissima : *non enim ad Benacum tantum sed et ad Larium lacum in Comensi colonia domicilium et larem habuit Catullus, ut haud obscure ex carmine ad Coloniam* (XVII) *intellegi potest.* ceterum Catullus uillam siue praedium non potest carmine XVII adlocutus esse : nam, ut ex prioribus carminis uersibus cognoscitur, Catullus oppidum siue oppidulum dixerit necesse est. etiam Scaligeri sententia

displicet, uel eo quod Larium lacum, ad quem Comum situm est, his uersibus intellegit. quid? lacumne illum amoenissimum Catullus designaret talibus uerbis (10. 11. cf. etiam 4. 25)

uerum totius ut lacus putidaeque paludis
liuidissima maximeque est profunda uorago?

quis insuper credat lacui Lario, quem Vergilius (georgicon II 159) 'maximum' uocauit (cf. Strabo IIII 192 V 209. 213), pontes umquam inpositos fuisse? itaque si ex explicationibus ad hoc tempus propositis eligenda est quam probem, Mureti difficultatibus laborare mihi uidetur minimis, dum modo Coloniam illam iam temporibus Catulli conditam fuisse demonstrari possit. quod ut nulli dubitationi obnoxium sit, conicere possimus Coloniam, oppidum Veronae uicinum, sub administratione et legibus ipsius Veronae fuisse et propterea Catullum incolam illum Coloniae 'suum municipem' nominare potuisse (cf. Reinius in Paulii encycl. V 226. 227).

Pergit disputatio ad carmen LXVII, quod Turnebus (aduersar. XVI 1) aeque ac folium Sibyllae obscurum et tenebricosum non iniuria nominauit. tamen experiri nos oportet num fabulam carminis explicare contingat: qua non perspecta carmen intellegi prorsus non potest. quae res cum sit difficillima (id quod uel discrepantiae sententiarum grammaticorum testantur), nos non id agimus ut tenebras omnes nostris explicationibus dispellamus, sed ut non nullos saltem errores quos interpretes superiores non euitarunt effugere conemur. res igitur quas in carmine LXVII Catullus tetigit magis quam narrauit sic fere se habuisse putauerim.

Digitized by Google

Senex quidam Veronensis, uir honestus ac probus, Caecilium Balbum Brixianum, quem iam, dum uiuebat, ad se domum receperat, testamento sui heredem et aedium suarum erum constituerat. sene mortuo dominus nouus curans ut domui matronam daret uirginem Brixianam municipem quandam suam in matrimonium Veronam deduxit, sed turpiter ab illa deceptus est, cum pro uxore pudica et fida mulierem libidinosam nanctus esset, quae iam antea cum uiris conpluribus, ueluti cum Postumio et Cornelio et 'longo quodam homine', immo cum ipso Caecilii mariti patre adulterare consueuerat. huius mulierculae flagitia ut perstringeret, Catullus cum ianua aedium earum in quibus adultera habitabat conloquium instituit, in quo ianuam sibi quaerenti facinora erae nouae narrantem fecit. sententiam nostram qualemcumque ita optime defendi posse putamus ut de probabilitate sententiarum quas alii dixerunt disseramus. primum quaeritur qua in urbe domus scelesta una cum matrona et ianua illa fuerit. Antonius Parthenius Brixiae domum fuisse contendit ridicule addens in uersu 34, in quo ianua Veronam 'suam' adpellat, poetam ad suam ipsius urbem patriam respicere. pro Brixia Scipio quoque Maffeius pugnauit, qui uersus 33 et 34 spurios esse contendit. quod unice uerum est id Scaliger primus docuisse uidetur, Veronae aedes illas fuisse et ibidem se cum ianua conloquentem poetam fecisse : hoc ex uersu 34 clare elucere. Scaligerum merito Petrus Galeardus et Vulpius secuti sunt, quorum uestigia deserere Froehlichius et Rossbachius non debebant. quorum uterque noua uersuum distri-

Digitized by Google

butione instituta uersum 34 *Brixia Veronae mater amata meae* Catullo attribuere studuit, sed pessimo uterque euentu. Froehlichius enim uersus 29—35 Catullo et uersum 36 et qui secuntur (me errare aut cauillari noli credere) ianuae adsignauit (cf. comment. acad. Monac. v III 262). Rossbachius contra sicuti in priore (p. xviii) ita in altera (p. xx) editione uersus 29—40 Catullo et 41—48 ianuae attribuit. quae ratio quod ei placere potuerit satis mirari non possum. ueluti scire uelim quo modo Rossbachius, qui uersum 35 *sed de Postumio et Corneli narrat amore* Catullum arbitratur locutum esse, uersum 43, quem ianua loquitur, explicet *nomine dicentem quos d i x i m u s, ut pote quae mi*, quo ianua ad nomina Postumii et Cornelii a se ipsa in uersu 35 nominata prouocat. praeterea quem fugere potest enumerationem scelerum ab uxore commissorum, quam ianua in uersu 19 *primum igitur* instituere coepit, ab eadem ipsa in uersu 31 *atqui non solum hoc — sed de Postumio et Corneli* et in uersu 45 *praeterea addebat* continuari? ceterum uulgarem uersuum distributionem omnino probandam esse equidem nego. offendit oratio ianuae iusto longius continuata et inde a uersu 31 usque ad finem carminis nulla Catulli interlocutione interrupta: in primis moleste est ferendum quod in uersibus 37—40 ianua se adloquitur ipsam. quin uersus hos attribuimus Catullo? uiros doctos formula *dixerit hic aliquis* ab hac uersuum distinguendorum ratione deterruisse uidetur: at opinor inmerito. Catullus subdubitans de ueritate rerum incredibilium quas ianua narrauit alieno quasi nomine

Digitized by Google

modeste et urbane interrogando fidem ianuae explorare studet.

Vt redeam unde egressus eram, Isaacus Vossius quoque insigniter ariolatus est, cum (obseruat. p. 277) haec scripsit : *inducitur hic ianua loquens Romae, non Brixiae aut Veronae, ut existimabat Scaliger. bona enim ista mulier, de qua hic agit Catullus, relicta Roma una cum suis amatoribus moechatum se contulerat Brixiam.* caussam qua motus uir ille, multis locis de Catullo emendando et interpretando bene meritus, tam mira dixit in eo adgnoscere licet quod is Caecilium a Catullo in uersu 9 nominatum (cuius nomen Vossius infelicissima coniectura etiam in uersum 42 iam pridem ab Achille Statio optime persanatum inferre uoluit) pro Q. Metello Celere consule anni 694/60 et marito Clodiae (de quo u. supra p. 60) habuit. quod idem cum Turnebus (aduersar. xvi 1) diu ante Vossium dixisset, a Scaligero merito refutatus est. in uniuersum autem fatendum est nos de hominibus illis prouincialibus praeter ea quae Catullus ipse narrauit nihil scire posse, et in hanc partem a uiris doctis disputata inutilia et futilia esse : ueluti quae Statius de uxore Caecilii commentus est, quam eandem atque Caecilii poetae Nouocomensis puellam 'Sapphica doctiorem Musa' fuisse existimauit. Veronae igitur mulier adultera cum marito habitabat, sed coniux uterque Brixia oriundus fuit, quod de uxore inde conligendum est quod ianua uersibus 31—34 Brixiam testem superioris uitae mulieris inpudicae aduocauit. de mariti origine Brixiana ita res se habet. pater Caecilii Brixiae uixit, qui ipse, iam antea quam filius uxorem duxit, cum hac ipsa,

Digitized by Google

dum uirginis nomen saltem, non castitatem habebat, ibidem consueuit: nam huius quoque flagitii testificationem ianua Brixiam postulat (cf. uers. 31 *atqui non solum hoc se dicit cognitum habere*). quo circa sententia eorum corruit qui Balbum (u. 3) Caecilii (u. 9) mariti patrem fuisse et cum nuru sua rem habuisse existimant. haec enim Doeringius in editionis minoris p. 135 docuit: *possessor domus de qua sermo est fuit Balbus. ei fuit filius Caecilius non germanus, sed ut uidetur adoptiuus et Balbi heres. hic habuit uxorem, quam tamen ob corporis infirmitatem non ipse maritus Caecilius, sed eius parens Balbus uxoris loco habuit. mortuo Balbo Caecilii uxor, cum eius libidini non responderet maritus, admisit moechos. in his fuerunt Postumius Cornelius et quidam homo longus, cuius nomen Catullus, quia eius rubra supercilia timuit, reticuit.* in his quam multa falsa insint operae pretium non est docere. Doeringii peruersitatem mirum quanto Froehlichius superauit, qui duos Caecilios Balbos patrem et filium, quorum priorem Catullus cognomine alterum nomine gentilicio adpellauerit, in carmine nominari arbitratus non tam Caecilium Balbum patrem statuit cum nuru adulterasse quam patrem germanum uxoris Caecilii Balbi filii cum sua ipsius filia incestum commisisse. quem sensum ut extorqueat, Froehlichius uersus 5. 6. 23. 26. 30 tam inperite et foede corrupit ut eius ariolationes commemorare, nedum refutare taedeat. paullo prudentius Rossbachius rem gessit nec tamen ita ut commenta eius probari possint. qui uir doctus distichum tertium e coniecturis partim Froehlichii partim suis ita mutauit:

Digitized by Google

quamque ferunt rursus nato seruisse maligne,
postquam est porrecto tacta marita sene,

addita hac explicatione (p. XVIIII): *nurus tacta est a Balbo socero senili, cuius filius Caecilius, maritus illius, qui tum tenebat domum, sterilis fuit. 'porrecto sene' non est 'mortuo' sed 'accubante'.* quae emendatio et interpretatio nullo modo ferri potest. ut unum adnotemus, illud *porrectus* non potest ita intellegi ut Rossbachius uoluit. nam numquam *porrectus* est *accubans*, sed potius, cum proprie extensum significet et homines in cubando extendantur, cubantis interdum sententiam habet: cf. Statii Achilleidos II 75 *ueluti ille cubilia praedae Indubitata tenens multo legit arua Molosso Venator, uideat donec sub frondibus hostem Porrectum somno positosque in caespite dentes,* Horatii carminum III 10 3 *Extremum Tanain si biberes, Lyce, Saeuo nupta uiro, me tamen asperas Porrectum ante foris obicere incolis Plorares aquilonibus*, saturarum II 3 112 *si quis ad ingentem frumenti semper aceruum Porrectus uigilet cum longo fuste*, Tibullus elegiarum I 3 75 *porrectusque nouem Tityos per iugera terrae Adsiduas atro uiscere pascit aues.* at huius significationis hoc loco, quo, si ex Rossbachii mente intellegendus esset, sententia concumbendi siue accubandi utique requireretur, nullus usus esse potest. longum est illa sat multa et grauia enumerare quae insuper in lectionibus Rossbachianis displicent, quoniam fundamento quo eius emendatio nitebatur subducto reliqua ultro conlabuntur. nos uerba *porrecto sene* ita explicare non dubitamus ut iam inde a Scaligero omnes uno Rossbachio excepto grammatici interpretati sunt. 'senex' enim 'porrectus' est 'mortis torpore exten-

Digitized by Google

sus' uel 'mortuus'. omnibus Homerica illa *ὁ δ' ἐν κονίῃσι τανύσθη, ἐπὶ χθονὶ κεῖτο τανυσθείς* similia nota sunt. praeterea ex Latinis conferantur Vergilii Aeneidos VIIII 587 *Ipse ter adducta circum caput egit habena Et media aduersi liquefacto tempora plumbo Diffidit ac multa porrectum extendit harena,* Horatii epodon 10 21 *Opima quodsi praeda curuo litore Porrecta mergos iuueris*, Martialis epigrammatum VIIII 85 *Languidior noster si quando est Paulus, Atili, Non se, conuiuas abstinet ille suos. Tu languore quidem subito fictoque laboras, Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes.* (Persii saturae 3 103 *tandemque beatulus alto Conpositus lecto crassisque lutatus amomis In portam rigidas calces extendit*). nec dubito quin in Ser. Sulpicii ad Ciceronem epistula (IIII 5 4) *hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadauera proiecta iacent?* pro *proiecta,* quod propter *iacet* uicinum displicet, *porrecta* emendandum sit. — Nos, ut iam supra indicauimus, Balbum uersus tertii et Caecilium uersus noni unum fuisse hominem, Caecilium Balbum, adulterae illius feminae maritum, existimantes sic fere uersus priores censemus explicandos esse. poeta ex ianua quaesiuit cur ipsa, quae, quamdiu senilis possessor aedium uiueret sedemque teneret, Caecilii Balbi a sene in domum recepti (eo quod nihil sceleris et flagitii in domum admisisset) fidelem seruam se praebuisset, quam primum post senis testatoris mortem maritalis facta esset (*ianua marita* = *domus marita* apud Liuium XXVII 31), uotis erae nouae inpiis oboediens atque nequitiis turpissimis patens fidem olim

Digitized by Google

Balbo seruatam uiolaret. hominibus Brixianis Postumio et Cornelio et 'longo homini' cuius nomen Catullus reticuit nescio an occasio libidinis cum adultera maritum Veronam secuta exercendae defuerit, contra mulieris socer nurum commodissime conuenire potuit: neque is hac occasione uti erubuit. nam Catullus ianuam Veronensem ita adloquitur: *o dulci iucunda uiro, iucunda parenti.*

Tandem omnia carmina quae Catullus de hominibus scripsit sibi aequalibus et omnia quorum tempora ex rerum Romanarum memoria explicari poterant inlustrauimus. iam reliqua sunt carmina pauca quae, cum in se nihil contineant quod ad homines aetatis Catulli aut ad res Catulli aetate factas gestasue spectet, in tali disquisitione qualem hoc libro instituimus tractari nequeunt. sunt uero haec: LXIIII *Peliaco quondam prognatae uertice pinus* LXII amoebaeum ex epithalamio quodam Sapphus expressum *Vesper adest, iuuenes consurgite, uesper Olympo* LXVI *Omnia qui magni dispexit lumina mundi* LXIII *Super alta uectus Attis celeri rate maria* XXXIIII *Dianae sumus in fide*: quibus, si artem respicis, carmen LI quod Catullus ab carmine Sapphus ad puellam amicam scripto mutuatus ad Lesbiam direxit addi potest. uerum tamen tempora quibus Catullus comam Berenices Callimacheam et carmen *φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν* Sapphus in linguam Latinam conuerterit, quoniam cum aliorum carminum temporibus conexa sunt, iam supra p. 273 et p. 78 ita definiebamus ut carmen LI inter annos 692/62

Digitized by Google

et 694/60, carmen autem LXVI ipso hoc posteriore anno 694/60 scriptum esse statueremus.

Carmen LXIIII, de Pelei et Thetidos nuptiis epyllion, quando poeta scripserit obscurum est, neque quicquam certi uel probabile ex uniuersa poesis Catullianae indole ac ratione hac de re effici potest. • namque etiam si poesim Catulli ab poetarum Graecorum imitatione in primis eorum quos Alexandrinos adpellare consueuimus profectam esse ueri simillimum est, tamen haec res, si de certo quodam carmine inquiritur, parum nos iuuat. credi enim non potest Catullum primum quidem Graecam poesim diligentius imitatum esse, postea uero, cum carmina non iam ex exemplaribus alienis anxie exprimeret sed suis uiribus sensim confirmatis confisus ipse conponeret, ad exemplaria Graeca omnino non iam se adplicauisse. quod qui putaret quid carminibus LI et LXVI faceret? unum tamen adfirmare non dubito, carmen tam pulcrum et si non omnibus numeris perfectum absolutumque, multis tamen nominibus ualde laudabile, quale sexagesimum quartum habendum est, Catullum multo probabilius esse aetate iam firmata quam iuuentutis primae annis fecisse. • idem fere de tempore quo Catullus carmen LXIII de Atti scripsit dicendum est. nam de hac re nihil discere possumus ex ipso carmine, etsi huius caussae, si ita loqui licet, non in sola studiorum Catulli poeticorum ratione (id quod de carminibus LXII et LXIIII concedendum est) sed praeter haec studia etiam in sacris magnae matris deorum iam inde ex Marii et Sullae temporibus adcrescente cura et studio Romae celebrari coeptis (cf. Prelleri

Digitized by Google

mythol. Rom. p. 735) positae erant. sed ars plane eximia qua, et si totum et si singula consideras, hoc carmen excellit nos non sinit dubitare quin Catullus id fecerit annis et usu experientiaque poesis maturus. neque aliter de carminis LXII iudico tempore. haec si uera sunt, Catullum adparet, cum anno 700/54 librum suum ederet, prima et rudia carmina, quae non dum satis exercitatus ex Graecis expressisset, non admisisse, sed pauca tantum poemata selecta, quae artem perfectam testarentur, recepisse. restat ut non nulla de carmine XXXIIII dicam. quod carmen a Scaligero anno 737/17 et a Vossio (obseruat. p. 81) anno 700/54 uel 705/49 attributum olim falsissime pro saeculari habitum esse iam pridem, ut supra p. 34 dixi, cognitum est. quam ob rem mirari licet quod uel Prellerus (mythol. Rom. p. 284, 2) carmen saeculare adpellare uoluit. etiam Marquardtius (de antiq. Rom. IIII 340) illud, etsi saeculare non nominauit, tamen pro saeculari habuisse uidetur. extat autem in carmine de quo disputamus ne minima quidem saeculi uel sacrorum ludorumue saecularium commemoratio. poeta pueros puellasque Dianam, filiam Iouis et Latonae, dominam montium siluarum fluuiorum, puerperarum adiutricem, praesidem noctis lunae stellarum, fertilitatis agrorum creatricem inplorantes facit ut populo Romano quod consuerit propitia sit. praeterea nihil in carmine inest. tamen carminis conpositione edocemur poetam cantui publice a pueris puellisque in honorem Dianae faciendo id destinasse. pro lusu quodam poetico siue exercitio ut aiunt facultatis poeticae libero equidem carmen habere non

Digitized by Google

possum. sicuti igitur ante Catullum Liuius Andronicus (Liu. hist. xxvii 37 Fest. p. 333) et P. Licinius Tegula (Liu. xxxi 12) et post eum Horatius (praeter carmen saeculare cf. carm. iiii 6 et i 21) mandatu publico carmina conposuerunt, ita Catullus quoque fecit. sed quando carmen fecerit poeta prorsus incertum est, si annum spectamus. neque adcurate cognoscere licet quibus Dianae sacris id scriptum sit. Marcilius (in asterism. p. 8) putauit carmen indictum esse pueris patrimis et matrimis, cum libri Sibyllini adirentur. sed nihil est quo haec sententia probetur. Bentleius ad Horatium p. xiii idibus Sextilibus, quae Dianae sacrae erant (cf. Prelleri mythol. Rom. p. 283. 284), id cantum esse coniecit. de tempore carminis in uniuersum adnotari potest ueri esse dissimile Catullo, prius quam famam aliquam carminibus suis adeptus esset, munus carminis conficiendi publice mandatum esse. quo argumento confisis nobis illud posterioribus Catulli annis adsignare licebit.

Haec fere habuimus quae de uita Catulli et de personis Catullianis et de temporibus carminum Catullianorum diceremus.

Digitized by Google

XV

Quae de temporibus carminum Catullianorum dicenda erant cum per totum hunc librum, prout res postulabant, dispersa sint, haec omnia ultimo hoc capite breuiter conligere et conplecti placet. his carminum Catullianorum fastis ea ex uita Catulli desumpta interponere lubet quae annis singulis supra attribui potuerunt, ut quaecumque in capitibus prioribus de uita Catulli et temporibus singulorum carminum probare temptauimus uno in conspectu quasi prostent. quem conspectum cum oporteret quam breuissimum esse, facere non potuimus quin res incertas incertioresue iusto confidentius inter certas enumeraremus. duos igitur indices alterum nominum et rerum alterum carminum capiti huic subiunximus quorum auxilio nullo negotio unus quisque uidere possit quanta fide singula in has tabulas relata digna sint. carmina quorum tempora definiri non potuerunt in conspectu omisimus.

Digitized by Google

Anni		CATVLLI VITA ET CARMINA
Catulli	ab u. c. et a. Chr. nat.	
1	667/87	Catullus Veronae natus est.
11	678/76	Clodiae pater mortuus est. inter hunc annum et 691/63 Clodia Metello nupsit.
16	683/71	*Tempore quo primum uestis mihi tradita purast Multa satis lusi* (Catullus LXVIIIa 15). circa hunc annum Catullus Aufilenam Veronensem amauit : LXXXII *Quinti si tibi uis* C *Caelius Aufilenum* CX *Aufilena bonae* CXI *Aufilena uiro.*
20	687/67	hoc fere anno Catullus Romam migrauit. inter hunc annum et 690/64 Cornelius Nepos chronicorum libros tres edidit, in quibus Catulli primitias carminum honorifice commemorauit.
22	689/65	Catullus scripsit in Cominium CVIII *Si Comini populi.* ? ad Ciceronem XXXXVIIII *Disertissime Romuli* (u. ad ann. 698).
[25	692/62	— 700/54 intra hoc temporis spatium carmina LXIIII *Peliaco quondam prognatae* LXII *Vesper adest iuuenes* LXIII *Super alta uectus Attis* XXXIIII *Dianae sumus in fide* Catullus scripsit.]
26 et 27	693/61 et 694/60	Catullus Clodiam amare coepit. amantium concordia intra hoc biennium non turbatur : II *Passer deliciae* V *Viuamus mea Lesbia* VII *Quaeris quot mihi* III *Lugete o Veneres* LI *Ille mi par esse* LXXXVI *Quintia formosa* LXVIIIb *Non possum reticere.* 694/60 Q. Metellus Celer consul. eius et uxoris Clodiae inimicitiae. Catullus carmine LXI *Collis o Heliconii* nuptias Manlii Torquati et Viniae Aurunculeiae celebrauit. 694/60 Catulli frater in Troade mortuus est. post annum 694/60 carmina VIIII *Veranni omnibus* XII *Marrucine Asini* XIII *Cenabis bene* Catullus scribere non potuit.

Digitized by Google

Anni		CATVLLI VITA ET CARMINA
Catulli	ab u. c. et a. Chr. nat.	
28 et 29	695/59 et 696/58	intra hoc biennium Catulli et Clodiae amor primum turbatus postea in breue tempus restitutus denique dissolutus est.
		amantium discidium : LXXXV *Odi et amo.* in Clodiam LXX *Nulli se dicit* LXXXIII *Lesbia mi praesente* LXXXXII *Lesbia mi dicit* LXXII *Dicebas quondam* LXXXVII *Nulla potest mulier.* in aemulos : in P. Clodium LXXVIIII *Lesbius est pulcer.* in Gellium CXVI *Saepe tibi studioso* LXXIIII *Gellius audierat* LXXX *Quid dicam Gelli* LXXXVIII *Quid facit is Gelli* LXXXVIIII *Gellius est tenuis* LXXXX *Nascatur magus* LXXXXI *Non ideo Gelli.*
		anni 695/59 mensibus prioribus Caelius Rufus Clodiam amare coepit, qui amor anno 696/58 quam maxime arsit : in Caelium scripsit Catullus LXXIII *Desine de quoquam* LXXVII *Rufe mihi frustra* LXVIIII *Noli admirari* LVIIII *Bononiensis Rufa.* in Egnatium et socios XXXVII *Salax taberna* XXXVIIII *Egnatius quod candidos.* in Clodiam XXXXII *Adeste hendecasyllabi.* ad se ipsum VIII *Miser Catulle desinas.* in amicos perfidos : LX *Num te leaena.* in Alfenum XXX *Alfene inmemor atque unanimis.* — XXXXI *Ametina puella* XXXXIII *Salue nec minimo.*
		amantium in breue tempus reconciliatio : ad Clodiam CVII *Si quicquam cupido* CVIII *Iucundum mea uita* XXXVI *Annales Volusi.* [fortasse hoc tempore LXXXXV *Zmyrna mei Cinnae* scriptum est.]
		Catullus Clodiae amorem in perpetuum renuntiauit : LXXVI *Difficile est longum.*
		Vinia Aurunculeia uxor Manlii Torquati mortua est : ad Manlium LXVIII[a] *Quod mihi fortuna.*
		ante 695/59 Catullus carmen XXXV *Poetae tenero* scribere non potuit.

Digitized by Google

Anni		CATVLLI VITA ET CARMINA
Catulli	ab u. c. et a. Chr. nat.	
		anno 696/58 G. Memmius Gemellus praetor urbanus fuit.
30	697/57	huius anni initio Caelius Clodiam iam deseruerat.
		uere huius anni Catullus in Memmii cohorte in Bithyniam profectus est, item G. Heluius Cinna.
31	698/56	Clodia Atratinum in Caelio Rufo accusando adiuuit. Cicero Caelium defendit : xxxxviii *Disertissime* (u. ad ann. 689).
		Catullus post uernum aequinoctium ex Bithynia profecturus scripsit xxxxvi *Iam uer egelidos*.
		in reditu fratris apud Rhoeteum promunturium tumulum uisit : ci *Multas per gentes*.
		primo paeninsulae Sirmionis et lacus Benaci conspectu laetitia magna commotus scripsit xxxi *Paene insularum Sirmio*.
		nauem qua iter maritimum fecerat Castori et Polluci dedicauit : iiii *Phaselus ille*.
		Romae de itinere Bithynico interrogatus scripsit x *Varus me meus*.
		ad Caelium Rufum olim aemulum suum lviii *Caeli Lesbia nostra*.
		Catullus Iuuentium amauit : xxiiii *O qui flosculus es* xxxxviii *Mellitos oculos* lxxxi *Nemone in tanto* lxxxxviiii *Surripui* xxv *Cinaede Thalle*. in Furium et Aurelium aemulos in Iuuentii amore suos poeta scripsit xv *Commendo tibi* xvi *Pedicabo* xxi *Aureli pater* xxiii *Furi cui neque* xxvi *Furi uillula*.
		huius uel sequentis anni Saturnalibus Catullus xiiii *Ni te plus oculis* scripsit.
32	699/55	Pompeius et Crassus iterum consules. Caesar in Gallia bellauit. Crassus et Gabinius expeditiones in Syriam et Aegyptum parauerunt.
		Catullus Caesarem carminibus acerbis adgredi coepit : lxxxxiii *Nil nimium studeo*. in Caesarem et Mamurram lvii *Pulcre conuenit*. in Caesarem et Fuficium liiii *Othonis caput oppido pusillum*.

Digitized by Google

Anni		CATVLLI VITA ET CARMINA
Catulli	ab u. c. et a. Chr. nat.	
		Caesar in Britanniam medio fere anno traiecit.
		ad Furium et Aurelium, cum Clodia poetam reconciliare sibi uellet, scriptum est XI *Furi et Aureli.*
		in Mamurram Caesarem Pompeium XXVIIII *Quis hoc potest uidere.*
		ad Cinnam de Muciae, Pompei uxoris, Caesaris Mamurrae adulterio CXIII *Consule Pompeio primum.*
		medio fere anno Catullus Veranniam et Fabullum e Macedonia prouincia cum Pisone redeuntes reuersosue salutauit XXVIII *Pisonis comites.* XXXXVII *Porci et Socration.*
		de Septimii et Acmes amoribus scripsit XXXXV *Acmen Septimius suos amores.*
		post medium hunc annum scripserit necesse est Catullus LV *Oramus si forte.*
33	700/54	anno ineunte in Gallia Cisalpina Catullus Caesaris gratiam sibi reconciliauit.
		iam Catullus Mentulae ficto nomine usus Mamurram insectatus est : LXXXXIIII *Mentula moechatur* CV *Mentula conatur* CXIIII *Firmanus saltu* CXV *Mentula habes.*
		in Arrium male in loquendo aspirantem LXXXIIII *.Chommoda dicebat.*
		mense Sextili, cum Caluus in Vatinium apud iudices ageret, LIII *Risi nescio quem.*
		morbo ultimo in dies ingrauescente ad Cornificium XXXVIII *Malest Cornifici.*
		librum editurus scripsit (XIIII 24-26 et II 11-13) *Si qui forte mearum ineptiarum.*
		Catullus librum carmine I *Quoi dono lepidum* Cornelio Nepoti dedicauit et edidit.
		Catullus Romae e uita decessit.
		Catulli pater in uiuis etiam tum fuit cum Iulio Caesare iure hospitii coniunctus.

Digitized by Google

I

INDEX NOMINVM ET RERVM

Digitized by Google

Digitized by Google

II

INDEX CARMINVM

Digitized by Google

Digitized by Google

G. KELLER GISSAE TYPIS DESCRIPSIT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06300 2912

Digitized by Google

Digitized by Google